~~1565~~
~~Z 328~~
2604
1516

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33983/fragment/page=0002

CHRISTIANI THOMASII,
JCti, Consiliarii Regii Borussi. in Acad.
Fridericiana Professoris Publ. ejusque
Acad. Senioris,

LIBER
DE
REMEDIO
AMORIS IRRATIONALIS,
ET PRÆVIA NECESSARIA
NOTITIA SUI,
Sive
PRAXIS
PHILOSOPHIÆ
MORALIS,
CUM APPENDICE,

In qua Autor multiplicem usum Ethices suæ ostendit, & de intellectu suo de Ethica Christiana sinceram Confessionem edit.

EDITIO NOVISSIMA
auctior & correctior.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Prostat venalis in Officina Libraria RENGERIANA,
1706.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33983/fragment/page=0003

OMnibus *Veritatis Amantibus*,
Senioribus & Junioribus,
Hic & alibi,
Pusillo, invisibili & comtempto gregi,
eorum qui ad *Veram sapientiam* con
tendunt,
Unicam illam, nec in plures disciplinas
divisam,
Quæ *Superne* descendit,
Quæ *Casta*, *pacifica*, *mansueta*
& *misericordiæ* plena est;
His,
Qui a *Tabernis*, & *Libidine* abstinent,
Qui *Contentiones* & *rixas* omnes vitant,
& in *Patientiâ* se exercent,
Qui *Prodigalitatem* æque ac *Ingratitudinem*
oderunt,
Qui cum Salomone Sapientiam illam

ante omnia quotidie *à DEO exo-*
rant,
Et *Fiduciam* ſuam non in hominibus col-
locant, nec homines
metuunt.;
Sobriis & *Temperantibus*,
Humilibus & *Manſuetis*,
Miſericordibus & *Beneficis*,
Qui hanc *S*apientiam unicè in *Sanctis*
Scriptis
Virorum Θεοπνεύστων,
non ex *impiis Ethnicorum libris*
quærunt,
Qui in hodierno etiam gentili Chri-
ſtianiſmo,
Doctores Ambitioſos, *Avaros* &
Voluptuoſos
fugiunt,
Et ad pedes piorum *Verorum Chriſtianorum*
in omnibus quatuor
Facultatibus
ſedent,
Bona eorum Exempla ſequuntur,
Et eorum Doctrina non ad tumidam
Sci-

Scientiam,
ſed ad propriam *Emendationem*
utuntur,
Autor precatur
Spiritum *Amoris DEI*, & *Odii*
ipſorum,
Spiritum *Timoris* Domini,
& inde profectæ *Spei*
veræ beatitudinis,
*S*piritum divinæ *Triſtitiæ*, quæ
operatur *P*acem & *Gaudium*
in *S*piritu ſancto,
Eisque in intimo Amore hunc libellum
dedicat.
Magnum autem & honoratum acervum
Phariſæorum, *Scribarum Herodianorum*,
& eorum *Diſci-*
pulos,
monet ut ab eo legendo abſtineant,
Quia Verendum eſt, ne inde
tantum
ad exacerbationem, confiſcationem,
fremitum & inſaniam
occaſionem ſumant.

DE-

DEUS benedicat illis, horum vero
misereatur,
Vbique tamen fiat sancta DEI
voluntas,
sicut in Coelo, & in terra.



Q. D. B. V.

PRAXIS PHILOSOPHIÆ MORALIS.

Caput Primum.
DE
CAUSIS MALI COMMUNIS ET UNIVERSALIS.

SUMMARIUM.

Connexio & ἀναϰεφαλαίωσις primæ partis Ethices. n. 1. Omnes homines ad vitam beatam contendunt. n. 2. Maxima tamen hominum pars valde sunt infelices. n. 3. sunt enim inquieti. n, 4. & carent amore rationali n. 5. Nulla Humanitas n. 6. nulla Veracitas, n. 7. nulla Modestia, n. 8. nulla Mansuetudo, n. 9. nulla denique Patientia apud homines invenitur. n. 10. Non vera aliqua Amicitia, non sollicita Officiositas, n. 11. non confidens Beneficentia, n. 12. non Communio bonorum & quarumcunque actionum secundum rectam rationem institutarum. n. 13. Imo ne verus quidem Amor Sui, n. 14. multo minus Amor rationalis in humanis societatibus, n. 15. non in Societate conjugali. n. 16. 17. 18, non in societate paternâ, n. 19. non in societate herili, n. 20. neque in societate Civili, n, 21. Mera itaque ubique calami-

tas atque miseria. n. 22. Cujus tamen culpa nec penes Deum, nec penes Creaturas, n. 23. sed penes ipsum hominem est, n. 24. Origo omnis mali non tam in intellectu hominis, n. 25. quam in ejus Voluntate quærenda est, n. 26. & in occultis voluntatis inclinationibus, n. 27. Quandoquidem præjudicia omnia intellectus è Voluntate originem ducunt. n. 28. Unde actiones voluntatis, non intellectus, pœnam incurrunt, n. 29. Et juxta vulgarem opinionem (quæ tamen corrigitur) intellectus voluntati imperare debet. n. 30. Malum ejusque origo non consistit in nudo defectu tranquillitatis animi seu amoris rationalis n. 31. sed in Amore quodam n. 32. eoque irrationali, ac animi inquietudine. n. 33. Definitio Inquietudinis animi. n. 34. Est irrequietus quidam Defectus delectationis n. 35. Ubi homo se unire desiderat cum aliis rebus turbulentis n. 36. Eaque unitio non semper in alios homines directa est. n. 37. Definitio Amoris irrationalis n. 38. Amor irrationalis variabilis est, n. 39. Duo præjudicia voluntatis generalia n. 40. I. Præjudicium Impatientiæ n. 41. quo bonum putatur esse malum, & malum tanquam bonum quid appetitur. n. 42. Abhorremus naturalem mutationem n. 43. Variatio delectationem affert respectu sensuum, n. 44. Et in aliis etiam bonis sola bona existimatur. n. 45. II. Præjudicium Imitationis n. 46. Quænam fraus sub hoc præjudicio lateat? n. 47. hoc præjudicium esse universale. n. 48. 49. Deus non est causa horum præjudiciorum, etsi imitationem quandam hominibus implantavit, n. 50. multò minus reliquæ creaturæ, n. 51. nec primario alii homines. n. 52. 53. Sed eorum semen omnibus hominibus inhæret, imo bestiæ à nobis, nec nos à bestiis seducimur. n 54. Præjudicium Imitationis antiquius est præjudicio Impatientiæ, n. 55. eoque difficilius abigitur, n. 56. tamen plerumque alterum alteri conjunctum est.

est. n. 57. Causæ generales, quamobrem tam difficulter superentur, n. 58.

1.



Vidimus in priori parte Philosophiæ Moralis Summum bonum hominis in *tranquillitate*, seu oblectatione *animi* consistere, hanc vero ex *Amore rationali* proficisci, eumque denuo efficere. Amorem rationalem in *Universalem* & *particularem* divisimus, & amori universali *quinque Virtutes*, *Humanitatem*, *Veracitatem*, *Modestiam*, *Mansuetudinem & Patientiam* attribuimus. Diximus amorem rationalem *particularem* veram aliquam *Existimationem* tanquam fundamentum præsupponere, ex eâque *sollicitam Officiositatem*, è sollicita officiositate *confidentem Beneficentiam*, denique amore ad perfectionem producto *plenariam Communionem* bonorum, omniumque actionum secundum rectam rationem institutarum procreari. Præterea ostendimus hominem ob amorem rationalem operam dare oportere quemadmodum *Temperantia*, *Munditie*, *Laboriositate* atque *Fortitudine* vitam suam conservet, denique in *quatuor communibus societatibus* amorem rationalem fundamenti loco ponat.

2. Jam si consideremus, neminem esse in mundo cui Deus rationem non donarit, quique non optet solùm, sed quibuscunque etiam actionibus suis eò præcipuè contendat,

quemadmodum ad summam beatitudinem pertingat; consentaneum omnino videatur, si non omnes, certe *plerosque homines in beato quodam statu vivere*.

3. Tamen si oculis neutri parti addictis nos aliosque circa nos homines, imo totum genus humanum, quatenus id nobis cognitum est, intuemur, reapse pro dolor deprehendimus, & nos & alios, imo *fere omnes homines longè infelicissimos* esse, eoque infeliciores, quo minus nos aliique fatemur, nec agnoscimus nos esse infelices, sed infelicem nostrum statum nobis ipsis & aliis pro vita beatissima, vel saltem non infelici venditamus. Cum facillime convinci possimus, quod de vera beatitudine reapse parum vel nihil possideamus.

4. Ubi enim sunt qui de *vera animi tranquillitate* verosimiliter gloriari queant, & quorum interna inquietudo non ex quibuscunque actionibus suis externis eluceseat, cum & eorum cibus & potus imo somnus, quorum tamen usus quietem quam maxime exposcere videtur, mera inquietudine referta sint.

5. Et unde animi tranquillitas inter homines expectanda esset, cum supra ostenderimus, quod ea sit effectus & genitrix amoris rationalis, quotidiana vero experientia testetur *amorem rationalem*, si non prorsus is è mundo profligatus est, tamen apud paucissimos reperiri; imò Virtutes, è quibus amor ratio-

nalis est compositus, omnibus in locis; in omnibus statibus per vitia ipsis opposita in exilium pulsas.

6. Ubinam enim homines reperies qui *amica Officiositate* humanitatem suam aliis significare studeant. Totus mundus commodis suis obnoxius est, & ubi majora officia non licet fœnerari, vel vanam gloriam sibi parare, plerosque hominum consentaneum est adeo sibi placituros, ut aliorum causa ne de loco quidem se moveant, nec de abundatia sua aliquid cœteris impertiant; Adeo excrevit *Immisericordia*.

7. Quam diuturnæ porro querelæ agitatæ sunt, *Fidem* & *Candorem* exulare in mundo? Et quàm docemur quotidianâ experientiâ, ob raritatem eorum, qui verborum suorum (ut ajunt) mancipia sunt, invaluisse, ut alter alteri magni beneficii loco obtrudat, si promissum semel ei datum ultro servat, & debitum solvit; Contra *fraudis* & *mendacii* omnia plena.

8. Item homo *modestus*, qui alios eodem iure secum uti patitur, nec plus sibi arrogat quam jure ipsi debetur, rara avis in terris est, cum plerique eo elaborent, quemadmodum vel rudi rusticoque fastu præ aliis *emineant*, vel alios occulte ac malitiose *opprimant*, vel eorum conditionem deteriorem reddant.

9. Utrum vero *rixosi* & *violenti* an *mansueti* & pacifici numero prævaleant? Cum &iis

in locis ubi bellum nullum geritur, tam frequentes de vi ac injuria agitentur quærelæ?

10. Denique cum *Patientia* eo heu res deducta est, ut ea habeatur pro vitio, & homines patientes aliis abominationi sint, imo qui hanc virtutem paulo fortius, quam corruptus hominum status ferre solet, inculcant, aut stulti, aut plane seditiosi ac præfracti malefici existimentur; Tantum abest ut virtus hæc ad tranquillitatem animi summe necessaria, cujus pauca apud gentiles priscos exempla cum admiratione legimus, apud nos sit in usu.

11. Itaque cum amoris universalis tam parum reperiatur, hic vero quædam quasi janua sit ad amorem particularem & amicitiam; colligi facile potest, parum etiam *veræ Amicitiæ* inter homines frequentari. Fundamentum amoris rationalis atque amicitiæ, *existimatio* nimirum virtuosorum est insolitum, quid, dum virtus spernitur & irridetur, & è contrario manifesta vitia, vel certe virtutes fucatæ magni æstimantur & præferuntur; Unde etiam in vulgatis amicitiis, privata commoda vel illicitam delectationem intendentibus, loco *sollicitæ officiositatis*, vel ab inepta *incivilitate*, vel à diffidenti ac à falsitate refertâ *civilitate* initium capiunt.

12. Et sicut vulgò in hâc ciuilitate acquiescunt, id quod in prima parte tanquam signum amoris valde adhuc imperfecti notavimus,

mus, dum quandiu ea durat, *confidentia* emergere non potest; ita inter millena beneficia vix unum reperietur, quod nomen *veri beneficii* mereatur, nec privatam potius utilitatem propriamque delectationem primario intendat, vel ut inescatio quædam usurpetur, qua aliorum animos nostræ voluntati subjiciamus.

13. Ac etsi aliquando exempla verorum beneficiorum deprehendamus, communis tamen defectus *plenariæ communionis omnium bonorum*, omniumque actionum secundum rectam rationem institutarum ostendit, quod exemplum aliquod perfectæ amicitiæ, quâ veteres tamen non ita caruerunt, nequeamus producere; Imo hoc respectu magis miseri sumus quàm gentiles, qui communionem illam, tanquam fructum perfectissimæ amicitiæ saltem magnificiebant, cum plurimi nostratium, qui juventutem in sapientia ac virtute erudire gestiunt, hujusmodi communionem oderint, omnibusque persuadere satagant, quasi absque rerum dominio nulla felicitas, imo nulla virtus consistere queat, & hos qui pro communione pronunciant, pro turbatoribus & qui omnia vitia atque flagitia in rempublicam inducere laborent, habendi sint. Quod è priori parte facillime tamen refutari potest.

14. Mirum igitur non est, cum amor erga alios homines ita laboret, *Amorem* etiam *nostri* ferè parvi aut nullius esse pretii. Emendatio-

nem & felicitatem *animæ* nemo fere attendit, sed omnes curam tantum *corporis* gerunt, & stultissimam quidem; Nam cum quisque vitam suam optet prorogare, fere tamen nil aliud agimus, quam ut naturam nostram edendo ac bibendo, variaque corporis motione, veluti oppugnemus, quasi eam vi pessundare cuperemus. Loco *moderatæ Diætæ* & *castæ vitæ*, Bacchanalia vivimus, & voluptatibus servimus; Loco *Munditiei* & *Cultus* in vestitu & domicilio, vel effœminata utimur abundantia, vel sordidâ ac insalubri spurcitie. Loco jucundi salubriisque *laboris* pigro perniciosoque otio indulgemus, & loco *Fortitudinis* vel temerarii sumus vel timidi.

15. Et quia perversis hisce hominibus *humanæ Societates* omnes instructæ sunt, corruptas etiam eas esse oportet. Cum societas nulla absque amore esse debeat, *imperio* tamen & *coactione* carere possit, certe coactio amori ministrare debeat, in societatibus nostris inverso ordine agitur, dum amicâ æqualitate in omnibus societatibus oppressâ alter alteri vi imperare nititur, & contentus est, etsi ab altero odio habeatur, dummodo timeatur.

16. *Societas Conjugalis*, omnium maxime naturalis, scopum sibi præfixum non habet, ut oportebat, animorum conjunctionem, sed vel sensuum oblectationem, vel promotionem, vel pecuniam. Hinc in pauciſſimis etiam matrimoniis *solicita* aliqua *officiositas* præcedit, quippe de qua in Romantiis tantum, quos vocant,

cant, legi solet; sed absentes matrimonia ineunt, & alienis oculis nixi, & vix una alteraque eaque vel frigidâ vel subdola ac affectata conversatione præmissa, vel sibi & aliis persuadent, etsi animi conjugum sibi mutuo palam adversantur, amorem tamen, mediante concubitu certissime subsecuturum, nec considerant hujusmodi amorem non nisi bestialem esse posse.

17. Multo minus Sponsus ac Sponsa per *confidentem Beneficentiam* ante plenariam copulationem sincerum & rationalem amorem, mutua contestatione sibi significant; Et dona quæ inter eos reciprocantur, privatam utilitatem nimis sapiunt, quam ut pro beneficiis venditari queant. Unde in pactis dotalitiis tot cautelæ diffidentia plenæ observandæ sunt, ita ut ea fallaces potius persuasiones, quam beneficæ amoris significationes videantur.

18. Imo licet Societas conjugalis ab omnibus pro amicitia arctissima maximeque indissolubili venditetur, tamen effectus veræ ac perfectæ amicitiæ, *communio bonorum*, ibi desideratur. Et quamvis ea nominetenus apud populos nonnullos introducta sit, nil tamen parit præter lites, cum inviti conjuges ad eam cogantur. Imo plerumque effectu caret, certe apud alterutram partem, utroque conjuge bonis hisce communibus pro lubitu non utente, sed altero alterum utplurimum eo compellente, ut sine ejus consensu ne tantillum quidem usurpare ausit, id quod è diametro adversa-

tur naturæ veræ bonorum communionis, ac pejus est, quam si uterque bona sua seorsim possideret. Addit quod continua inter conjuges zelotypia atque diffidentia vel nimis frigida solicita officiositas a multis in societate conjugali laudata abunde demonstrat, nec veram aliquam *Communionem actionum rationalium* apud conjugatos reperiri.

19. In *Societate paterna* parentes aut liberos suos irrationali quodam amore, qualis est Simiarum, corrumpunt, cumque eorum actiones prudenter moderari debeant, imprudentissimorum etiam infantum sunt mancipia; aut ne sentiunt quidem erga liberos amorem ullum rationalem, sed longe durius eos tractant quam mancipia. Uterque modus hunc effectum habet, ut & pueri, præsertim cum jam adoleverunt, parentes vel contemptim tractent, vel plane odio habeant, & eorum mortem cum gaudio expectent.

20. In *Societate herili* communis auditur querela, servos servasque infideles, immodestos, rixosos, inofficiosos esse; Ego vero statuo ex parte etiam herorum crebro adversus regulas humanitatis, modestiæ, veracitatis & mansuetudinis (quæ virtutes tamen duntaxat sunt amoris universalis) in specie autem adversus patientiam, cujus exemplum heros servis præbere par esset, peccari, adeoque mirum non esse, quod quæstio hæc pro quâ Seneca tam acriter pugnat: An servus Domino possit

da-

dare beneficium? hodie referenda sit inter eas quæ in communi vita non occurrunt.

21. De *Societate* vero *Civili* quid tandem dicemus? An Superiores subditorum salutem & emolumentum potissimum quærunt? An Subditi reciproce Principibus onus imperandi spontanea summissione atque subsidio, absque diffidentia, invidia & obluctatione sublevare student. An Nobiles, Urbani & Rustici mutuis officiis sibi respondent, an alter alteri quam maxime ægre facere conatur? Qui mundum parum cognoverunt, ad has quæstiones quisque secundum experientiam suam sibi tacite respondeat; Ego non ausum ea satis exprimere, tam vidi omnia depravata atque pessundata.

22. Itaque loco summi boni *mera* ubique est *miseria*. Miseria apud Magistratus, miseria apud Doctores, miseria apud Patresfamilias, miseria in aula, miseria in Ecclesia, miseria in domo & ruri; imo ubivis locorum summa est miseria.

23. Quænam autem est *causa* hujus mali universalis? Non certe *DEUS* largitor & fons omnis boni. Non *reliquæ creaturæ*, quippe in se bonæ magis quam malæ, & quæ per abusum hominum malæ fiunt. Sed ipsi id sunt *homines* cum aliis tum sibi ipsis ægerrime facientes. Illi ipsi homines qui tantopere contendunt, quemadmodum vitam tranquillam ac beatam agant.

24. Hoc

24. Hoc vero, si quid aliud, dignum est ad quod obstupescamus, miseros homines adversus propriam intentionem niti atque laborare, suæque ipsorum fortunæ fabros esse; Oportet ergo etiam *in homine* ipso miram stolidamque hærere causam furentis hujus stultitiæ.

25. Non equidem omnino errabimus, si originem hujus mali certo modo in *corrupto* hominis *intellectu*, & in *præjudiciis præcipitantiæ & autoritatis humanæ* (de quibus circa finem prioris partis Logices prolixè egimus) quæramus. Nam quemadmodum ex his duobus stultitiæ fontibus errores omnes promanant; ita his irretiti à veritate quoque deviamus in cognitione boni & mali. Et licet bonum & malum ad voluntatem magis quam ad intellectum hominis pertineat, intellectus tamen, cum voluntate semper conjunctus est, & voluntas equidem, ut vulgo docent, bonum appetit, sed intellectus hoc diiudicat, nec unquam voluntas aliquid appetit, quod intellectus plane ignoret. Unde rursus consequi videtur, primam omnis miseriæ originem, inde derivari, quod intellectus humanus à præjudiciis seductus erret in cognitione boni & mali, dumque malum pro bono & bonum pro malo venditat, innocentem voluntatem seducat, ut istud persequatur, hoc vero repudiet.

26. Sed si naturam humanam accuratius intuemur, ac discrimen cum veri & falsi, tum bo-

boni & mali (quod Cap. 1. primæ partis fecimus) attentius consideramus, mox deprehendemus in speculativis quidem veritatibus, sive in cognitione essentiæ rerum sine respectu lucri vel damni nobis inde emergentis, magis naturalem dispositionem intellectus quam voluntatem respiciendam esse, in *cognitione* autem *boni & mali* originem omnis mali ipsi *voluntati* seu certæ ejus qualitati adscribi oportere, certe hic *intellectum* magis *à voluntate*, quam voluntatem ab intellectu seduci atque corrumpi.

27. Pro illustrando hoc paradoxo exempla pauca proferam. Fateberis, si quis nimio calore, e. g. in balneo debilis factus sit, quod *auram frigidam*, vel *potum frigidum anhelabit*, hisque potitus eò plus capiet delectationis, quo frigidior est aura vel potus, etsi ratio ipsi dictitat, quod hæc nimis sensibilis vicissitudo secundum ductum cap. 1. partis primæ non possit non esse pernicioſa. Et uti, cum hominem videmus oscitantem forti impulsu rapimur ut idem faciamus, ita ut totis viribus nobis reluctandum sit, quo oscitationem contineamus; ita quisque *fortem* hujusmodi *impulsum* apud se deprehendet, aliquid (v. g. cibum) tanquam bonum quid concupiscendi, quod alios homines, in quorum ipse est societate, videt tanquam bonum appetere, etsi de ejus rei bonitate aliam cognitionem non habet, imo eandem prius malam esse sibi persuasus est.

28. Por-

28. Porro si totam doctrinam de præjudiciis intellectus hic repetendo cum aliqua attentione consideremus, ulterius progrediemur, & deprehendemus *præjudicia* etiam *intellectus* in cognitione essentiæ rerum seu veri & falsi in genere, *à corruptione voluntatis derivari*. Docuimus quod præjudicium autoritatis humanæ ex amore irrationali aliorum hominum, & præjudicium præcipitantiæ ex amore sui irrationali, vel ut clarius dicam, ex impatienti desiderio dependeat, & quod nimia intellectus credulitas eô facile capiatur. Jam vero Amor, Desiderium, Impatientia &c. non sunt qualitates intellectus, sed voluntatis.

29. Deinde eruditi omnes (nisi cum propria utilitate invitantur ad hanc veritatem oppugnandam) in eo consentiunt, *actiones* quidem *voluntatis humanæ pœnam incurrere*, notitias autem *intellectus quantumvis erroneas* ab omni *pœna* esse *immunes*. Quorum utrumque valde iniquum foret, si intellectus voluntatem, nec voluntas intellectum seduceret.

30. Annon omnes affirmant, *Voluntatem humanam ab intellectu regi oportere*; Id quod esset absurdum, si origo mali sedem haberet in Intellectu, & non in Voluntate. Iniquum enim esset, id quod est pessimum regere id quod minus est malum, & si Intellectus Voluntatem, corrumperet, necesse esset, ut Voluntas potius Intellectui imperaret: Quam sententiam multi quidem Philosophorum discentibus inculcul-

culcant, dum Voluntatem tanquam regem intellectum vero tanquam Consiliarium repræsentant; sed hoc ipso demonstrant hypotheses suas non cohærere, sed multis obscuritatibus dubiisque esse obnoxias. Oporteret enim ita Intellectum potius cum rege, & Voluntatem cum consiliario comparari, ac dici, uti rex per hunc consiliarium si pravus is est, seduceretur; ita si consiliarius probus est, quod vires suas aucturus sit, cum cor bonum intellectum æque illuminet, quam cor malum eundem obscurat, quod suo tempore notabimus. Etsi, ut alibi docuimus, accuratius statuitur, Intellectum h. e. rationem per bonam voluntatem emendatam imperare debere ei quod est irrationale, i. e. rationi per malam voluntatem corruptæ, quam Intellectum regem voluntatis, vel Voluntatem regem intellectus asserere solent.

31. *In Voluntate* itaque hominis originem quasi errorum omnium, omnisque miseriæ inquiramus. Ac simplicissima quidem ratione eam facillime inveniemus, omnis enim veritas simplex est. Summum bonum est tranquillitas animi, ejusque & Mater & Filia est amor rationalis. Bona & mala fortuna, beatitudo & miseria sibi mutuo opponuntur, oportet ergo horum etiam essentias & causas esse oppositas. Iam si statuamus malum universale in *carentia quietis*, ejusque fontem in *carentia amoris* rationalis consistere, ad veritatem quidem

dem

dem satis prope accederemus, minus tamen justo dixissem9. Omnis carentia consistit in defectu: Defectus autem privationem quidē connotat fortunæ, nondum tamen infortunium vel miseriam, sed Statum saltem & fortunæ & infortunii expertem. Deinde natura voluntatis humanæ consistit in inclinatione quadam seu motu. Defectus autem amoris rationalis nil notat præter privationem motus, quæ nisi cum alio quodam motu esset conjuncta, voluntatem hominis imo ipsum hominem prorsus annihilaret.

32. Ut paucis me expediam: Fons omnis boni Amor est: Fons omnis mali *Amor* est: Sine Amore homo, qualiscunque is sit, ne ad momentum quidem existere potest, nullum enim momentum præterlabitur quo homo aliquid tanquam bonum non appetat, vel ejus durationem velit & optet.

33. Sed duos hos Amores necessum est diversæ imo contrariæ esse naturæ, quia tam diversos causantur effectus. Fons & scaturigo omnis boni est Amor rationalis, oportet igitur fontem omnis mali esse *Amorem irrationalem.* Habes igitur originem mali universalis, Amorem irrationalem; Imo hic ipsum habes universale malum, *Inquietudinem animi.*

34. Consideratio contrarietatis inter tranquillitatem & inquietudinem animi, item inter amorem rationalem & irrationalem facile nos juvabit in definitionibus inquietudinis animi

nimi & amoris rationalis inveniendis, modo ad definitiones tranquillitatis animi & amoris rationalis in priori parte traditas animum paulisper reflectamus. *Inquietudo animi est irrequietus quidam defectus delectationis hominis, quo homo modo dolorem modo gaudium sentit super aliqua re, in eoque statu cum aliis creaturis, quæ æque tranquillitatis animi capaces non sunt, nec eam procurare possunt, se unire desiderat.*

35. Est *Defectus delectationis*, alias enim non esset malum quid, quia Delectatio semper dependet à fruitione boni. Et licet in hoc etiam defectu delectationis sit aliqua gaudii & doloris vicissitudo, adeoque, saltem quandiu durat, delectatio aliqua, & consequenter aliquid boni adesse videatur; Istud tamen gaudium per se irrequietum est, quia nimis est sensibile, & per consequentes dolores durabiliores è classibus boni eliminatur, cum bonum oporteat esse durabile. Unde etiam eam *irrequietum Delectationis defectum* diximus, cumque ob longiorem durationem doloris propius ad dolorem accedat quam ad gaudium, oblectamentis etiam non annumerabimus.

36. In media hac animi inquietudine homo in *aliis creaturis* quietem quærit, sed frustra. Nam uti animi tranquillitas unionem cum aliis hominibus qui hanc tranquillitatem animi possident, appetit, eoque homo animi sui tranquillitatem magis magisque adauget; ita

inquietudo quoque animi inde augetur, quod homo infelix ab affectibus suis *ad res sui similes* pertrahitur. Dissimilia enim se amare nequeunt. Duo vero *irrequieta*, vel certe *quietis non capacia*, ne unione quidem sua quietem ullam operari possunt, sed inquietudinem potius augent.

37. Deinde tranquillitas animi etiam ab inquietudine animi differt, dum illa unionem cum aliis hominibus intendit, hæc vero unionem suam non semper cum hominibus, sed pro differentia circumstantiarum etiam *cum inferioribus creaturis* quærit, quod mox fusius explicabimus.

35. Ita jam eò facilius intelligitur, *Amorem irrationalem nil aliud esse nisi appetitum voluntatis humanæ sese uniendi cum his, quæ intellectus nisi ab ejusmodi appetitu coerceatur, mala esse cognovit, & in hac unione semper variandi.*

39. Nam sicut amor rationalis semper constans est, ita amor irrationalis natura semper est *mutabilis* & *inconstans*, dum ordinarie per fruitionem rei antea intentissime desideratæ fastidium capit, & si in genere vult oblectationem suam quam ex hac mutatione capit vel ex rebus in quas incidit, perennem esse.

40. Cum itaq; demonstratum sit in electione boni & mali *Voluntatem æque sua* habere *præjudicia* quam intellectum in cognitione veri & falsi, proderit ea jam accuratius considerare,

rare, & cum præjudiciis intellectus conferre Et ad duas quidem classes ea similiter possumus reducere, ut alterum sit *Præjudicium Impatientiæ*, quod præjudicio *præcipitantiæ* in intellectu simillimum est; Alterum *præjudicium Imitationis*, quod insignem cum intellectuali præjudicio *autoritatis humanæ* similitudinem obtinet.

41. Præjudicium *Impatientiæ* hominem eò abripit ut omnia illa tanquam bona persequatur, *quæ sensus & facultates mentis cito & sensibiliter afficiunt*, ex vero tanquam mala, certe tanquam minus bona fastidiat, quæ minus sunt sensibilia, vel quorum effectus non est momentaneus sed in futurum elongatus.

42. Ac per hoc præjudicium voluntatem humanam *actu mala appetere*, *bona vero fugere* satis patet ex his quæ cap 1. partis primæ tradidimus.

43. Quod autem hoc præjudicium in universum genus humanum *sine exceptione dominium exerceat*, testatur experientia. Ac natura quidem in omnibus creaturis, in ipso etiam homine *variationem* quandam introduxit, sed hæc vicissitudo *lentam* suam *mensuram* habet, ut citius non animadvertatur, nisi cum jam facta est, nec incrementum suum singulis momentis potest ostendere, sed comparatur cum horologio, quod 12. horarum intervallo per asserem minutum reclinatum decurrit, id quod è quatuor anni temporibus, &

ætatibus hominum patet. Hæc variatio uti *vere bona* est, ita homini fruitione suâ oblectationem aut satisfactionem afferre deberet. Sed *nimis* est *quieta*, & homo ejus si non fastidium capit, tamen nec delectationem sentit, quod quo tardior ea est, eo magis etiam quieta, eoque melior est per consequens; imo eam ne pro variatione quidem habet, quia eam singulis momentis non animadvertit.

44. Inde bonum cæteroquin adagium: *Variatio delectat*, in peregrinam significationem detorsit, dum hanc variationem ad momentaneam & sensibilem transfert. Si v. g. cum hemerodromis curru vigilans vehitur, vix animadvertit quod dies noctem excipiat, nec tantam inde delectationem capit, quantam sentit, quando nocturno tempore obdormivit, & clarâ die evigilavit. Nigra super albâ basi fortius *visum* delectant, quam nigra super basi fusca, vel grisea albis juncta. Quo profundius in canendo tonus demittitur, altiusque viciſſim elevatur, eo dulcius *aures* demulcentur. Cibi minus sapidi, i. e. saluberrimi cum fastidio & nausea *comeduntur*, sed conditi, dulces, acidi, delicati (v. g. perdices) pro lautissimis dapibus habentur. Errhina penetrantia, vehemens fragrantia florum, acris odor suffimentorum *nasum* delectat. Aeris æqualiter temperati mox fastidium capimus, sed is sensibiliter frigidus vel calidus fortius nos

nos allicit. Et communis voluptas venerea, cujus *sensibilitas* eo maxime quod non datur sensus aliquis ei similis, & semel ab homine experta, appetitu cui nullus alius æquatur, appetitur, satis demonstrat, præjudicium, hoc esse uniuersale, & omnium hominum intellectum veneno suo infeciſſe.

45. Et ita etiam cum bonis quibuscunque corporis, animi &c. comparatum est. *Sanitatem* æquabilem tum demum bonam judicamus, quando è morbo convalescere cœpimus, tum enim primum cœpta est fieri sensibilis. Plus delectationis capimus, cum simul & semel 100. thaleri nobis *donantur*, quam cum quotidie unum dono accipimus thalerum; Cum per saltum ad honores *promouemur*, quam cum per consuetos gradus eò adscendimus. *Memoria* artificialis, præcox *ingenium*, mirum quanti boni loco habeantur; Imo ipsa *virtus* pro virtute non habetur, nisi quando inde sensibilem in homine mutationem animaduertimus.

46. *Præjudicium Imitationis* hominem eò seducit, ut ad ea adspiret, eò secum pertracta quoque voluntate, ut bona illa censeat quæ videt ab *aliis quos amat & magni æstimat, tanquam bona appeti*, ea verò quæ ab illis videt, contemni, etiam contemnat, ac mala habeat, eaque fastidiat & aspernetur, licet ea *nondum expertus* sit nec *probaverit*, cum ratione sua paullo rectius quiete & absque tali concupi-

scientia usurpata cito *intelligere posset*, illa sæpe mala, hæc vero bona esse.

47. Et hoc quidem præjudicio *hominem & simul cum homine Intellectum maxime decipi*, ut si non semper bonum pro malo, & malum pro bono arripit, certe periculo exponatur, plerunque cum insigni detrimento suo hallucinandi, inde facile colligi potest, quod hic modum bona appetendi & mala fugiendi penitus invertat. Fundamentum amoris sui erga alios homines homini esse deberet hoc, quod eos jam probasset atque cognovisset tam sapientes ac virtuosos, ut in actionibus suis ad verè bona adspirarent, & mala averfarentur. Jam vero hoc præjudicio eò seducitur, ut illa bona vel mala existimet, quæ homines in quos amore suo irrationaliter irruerat, agunt vel omittunt.

48. Porro hoc præjudicium *totum genus humanum per omnes ætates, omnesque status* occupasse, rursus è quotidiana experientia deprehenditur. *Infantes* invitantur ut *manum in ignem immittant*, si quis eis exemplo præeat, & parum licet adusti, si adultus quis manum per ignem ducat, deprehendentur id agere, ut appetitus certet quasi cum timore, interdum etiam pro ratione circumstantiarum vincat. *Adulti* ea avide *edunt & bibunt*, quæ alios in conviviis vident cum appetitu edere ac bibere, & quamvis eorum prius nauseam nec appetitum ullum senserunt, tamen inde appeti-

petitus excitatur. Si quis celebris *eruditus* vel expertus *Librarius librum* aliquem *emit*, multi catervatim sequuntur, & nescio quam pretiosum librum se nactos opinantur, Si quis *honoratus* vel *opulentus* item celebris aliquis Theologus hominem quendam *laudat* vel *culpat*, tum clientes illico ingentem virtutum vel vitiorum copiam in laudato vel culpato conspiciunt, quam antea non viderunt, nec alii à studio partium immunes videre possunt. Si *consul* in urbe aliqua Medico quodam utitur, vel *matrona nobilis* eum ejusque medicamenta apud puerperas laudat, jam apud plerosque cives & matronas demonstratum est esse eum excellentem medicum & præstans pharmacum. *Senex* amore captus, amasiæ suæ gratificaturus ejus *colorem* induet, quantumvis viridem & flavum: Alia taceo innumera.

49. Præterea universalem hanc miseriam testantur phrases nonnullæ usitatæ: *Qualis rex talis grex. Mala exempla corrumpunt bonos mores.* &c.

50. Jam cui imputandum est hoc malum hic amor irrationalis & hæc præjudicia humanæ voluntatis? Supra diximus *Deum eorum causam esse non posse*, quia cap. 3. partis primæ luculenter ostendit, Deum non nisi bona homini largiri. Et licet omnino *Deus hominum cordibus Imitationem quandam indiderit*, quia Amorem homini inspiravit, amor vero sine

imitatione intelligi non potest; Noluit tamen ut impulsus iste ad imitationem directus intellectum ad malum seduceret, cum Amor is, qui rationalis est, à Deo sit, ille vero amor per regulas rectæ rationis prius personas amandas eligere debeat, quam per imitationem cum illis uniri desideret, quæ omnia præjudicium imitationis, uti modo dixi, invertit. Et si omnino homo ab imitatione abstinere nequit, cur non potius virtuosorum imitatur exempla, quam flagitiosorum & stultorum, præsertim cum exempla virtutis tam forti impulsi trahant virtuosos, quam perniciosa stultos?

51. Nec *reliquis Creaturis* per se mala hæc adscribi possunt, neque enim cor hominis unquam ad se inclinant, nisi id prius ad illas se inclinet. Inde fit, ut una eademque creatura ab uno ametur, ab altero odio habeatur, a tertio vero indifferenter tractetur.

52. Oggeris: creaturæ irrationales omnino non sunt causa mali hujus universalis. Quid prodest eius causam prolixe quærere, *præjudicium malorum exemplorum* eam nobis clarissime significat. Si mala abessent exempla, nec seduceremur ab *aliis hominibus*, etiam ab iis qui nos quam maxime ad honestatem ducere deberent, non essemus adeo miseri & infelices. Prava educatio optima corrumpit ingenia, & pueri degeneres bona accedente disciplinâ restituuntur: Ipsum *Impatientiæ præjudi-*

judicium videtur à malis exemplis proficisci. Pueri naturaliter non appetunt acida & dulcia, cibumque & potum acris & delicati saporis, nisi à parentibus aliisque familiaribus ad hæc assuefacti, vel propriis exemplis eò pertracti. Ipsa *titillatio*, quæ nil aliud est, nisi valde sensibilis sensuum affectio, naturæ hominis communiter repugnat; ac similiter ejus consuetudine contrahitur (quæ consuetudo in principio multis tam molesta est, quam v. g. fumigatio Nicotianæ, id quod hac in observatione novum exemplum præbere potest) si quis titillationis sensum amisit.

53. Cave vero decipiaris. Id ipsum enim novum quoddam est indicium maximæ tuæ miseriæ in te ipso hærentis, quod eius causam adeo conaris à te amoliri & in alios derivare, & nescio quanta fundamenta protulisse tibi videris, quæ nullius tamen pretii sunt, id quod ipse fateberis, modo ea absque præjudicio examines. Nam primum quidem nosti, *innocentiam nostram aliorum accusatione nequaquam defendi*, sed alios tantum in consortium nostræ vel culpæ vel stultitiæ trahi. Deinde rem acu tetigisse putas, de præjudicio pravorum exemplorum verba faciens. Nam mala quidem exempla occasionem præbent seductionis, sed non gignunt præjudicium, à se denominandum. Itane oblitus es, si quid hic datur præjudicii, quod idipsum non *præjudicium malorum exemplorum*, sed *præjudicium imitationis* dixeri-

mus? Jam oblitus es, quod modò dixerimus, bona quoque nobis exempla esse objecta? Item, id quod nos ad se pertrahat, aliquam nobiscum similitudinem habere oportere. Cur ergo non potius bona hæc exempla imitaris? Et cur hac imitatione te prodis, quod in temetipso semen mali deliteſcat, *similitudo* nimirum ultro se ad mala exempla trahi patiens. Non vides quotidie quod alter alterius amicitiam variis amoris testificationibus ambiat, nec alter tamen hunc ductum sequatur, sed aliquod potius frigusculum, imo odium erga alterum apud se deprehendat? Cur? Quia similem inclinationem in se non fovet. Nisi animis hominum, imo infantum, valida quædam mali ac amoris irrationalis radix inesset, malis exemplis nequicquam commoverentur. Imo ubi malum ingenium etiam in pueris valde progerminat, bona quoque educatio non omninò sufficiet. Et cur hoc censetur aliquanta pars communis mali: *quod centum bona exempla vix tam fortiter homines trahunt, quam unicum malum exemplum*, imo quod homines bona exempla pati nequeunt, sed sub vario prætextu ea crudelissime persequuntur? Falsum est, quod præjudicium Impatientiæ à nudâ seductione oriatur. Pueri ordinarie dulcia & delicata appetunt, etiam pro re natâ potum spirituosum, quod autem in tenella ætate acida abhorrent, id debetur lacti materno, & quod acria & amara non appetunt,

signum

signum est corruptionis, amara enim fere bona sunt & salubria. Titillationis prolixum foret naturam & causas cur quidam eam abhorreant, hic accurate indagare. Sufficit, quod universalis in rem veneream inclinatio, etiam absque præviis exemplis, & appetitus ad delectationem sensibilem ei adhærentem ac semel tantum gustatam objectioni tuæ longe superior est.

54. Breviter, *Animi* tui *Inquietudo*, *Amor* tuus *irrationalis*, qui te comitatur, tibi adhæret, tibi infixus est, qui totam voluntatem tuam, instar fermenti cujusdam pervasit, mali tui causa est, non vero exactus quidam *appetitus sensitivus* à bestiis ortus, vel qui consiliarius tantum esset voluntatis, tanquam regis. Nam & hanc fabulam de appetitu sensitivo homini cum bestiis communi, sub hac similitudine traditam jam sæpe refutavimus; & mox intelliges *quod ipse sis plusquam bestia, imo quod miserias illas bestias per corruptam naturam tuam corrumpas, tantum abest ut illæ te corrumpant.* Bestiæ plus non edunt nec bibunt, quam natura postulat, calorem æque ac frigus tolerare valent, statuta habent tempora quibus coëant, ambitionem & avaritiam nesciunt. Sola omnia imitatur Simia, quia tibi simillima est. Et cicurata animalia, quæ tibi subjecta sunt, ut canis, perducuntur à te ad luxuriam & libidinem per cibum & potum præternatura-

ralem quem eis præbes, & per alios nefandos abusus.

55. Supra diximus, quod præjudicium Impatientiæ præjudicio Præcipitantiæ & præjudicium imitationis præjudicio Antoritatis valde sit affine, id quod cum aliunde, tum ex similimis utrorumque naturis & qualitatibus, & è consideratione eorum, quæ §. 45. seqq. cap. ult. partis I. Logices nostræ de duobus illis præiudiciis diximus, eluceſcet. *Præjudicium Imitationis antiquius est præjudicio Impatientiæ.* Nam & in pueris mature deprehenditur simia quædam imitatio; Sed Impatientia nostra è seductione prognata tardius animaduertitur.

56. *Firmioribus* itaque *radicibus hæret Imitatio*, quam Impatientia, (illa namque ad naturam etiam amoris irrationalis pertinet, hæc ejus tantum est fructus) & per consequens Impatientia *facilius* quoque *supprimi potest* atque depelli, quam prava imitatio.

57. *Plerunque* tamen duo hæc præjudicia in homine *conjuncta sunt*, & Impatientia pravæ imitationi, & vicissim Imitatio Impatientiæ manus auxiliatrices præbet. Nam per *Impatientiam* impedimur, ne facta aliorum, quos amamus, examinemus, priusquam ea imitemur, & *Imitatio* Impatientiam nostram obfirmat, cùm sensibilia tantum objecta nobis imitanda proponantur.

58. Imo Negligentia & amor irrationalis, item aliorum mala exempla hic æquè nobis

im-

impedimento sunt; ut in præjudiciis intellectûs, cur tam difficulter eò nos adduci patiamur, ut ex hâc miseriâ emergamus.

CAPUT II.

DE AFFECTIBUS HOMINIS IN GENERE, ET PRIMO DE CONFUSIONE QVAM DIVERSÆ ERUDITORUM SENTENTIÆ PEPERERUNT.

SUMMARIUM.

Connexio n. 1. Usus doctrinæ de Affectibus, n. 2. Eius vulgatus neglectus ac contemptus, n. 3. Defectus Autorum qui de affectibus scripserunt, n. 4. eorum diversæ & contrariæ opiniones in genere, n. 5. De Platonicis n. 6. Sectatores Aristotelis Peripatetici ne inter se quidem concordant, n. 7. an Affectus insint animæ sensitivæ, an rationali? n. 8. Quomodo duæ species appetitus sensitivi, concupiscibilis & irascibilis sint distinguendæ? n. 9. Definitio affectuum peripatetica n. 10. Affectus ex eorum sententiâ sunt indifferentes, n. 11. Bestiæ etium habent affectus, n. 12. Aristoteles modò octo affectus numerat, modò undecim. n. 13. Peripateticorum de numero affectuum sententiæ contrariæ, speciatim Thomæ de Aquino. n. 14. Stoicorum de affectibus opinio. Eorum definitio distinctorum graduum actionum humanarum n. 15 His affectus in universum mali sunt, & à sapientibus totaliter extirpandi. n. 16. Bestiæ carent affectibus n. 17. Quatuor affectus primarii, & his oppositi tres motus

in sapiente. n. 18. Appellationes affectuum secundariorum è primariis affectibus oriundorum. n. 19. & passionum animi. n. 20. Sententia Epicuri, Mens, Sensus & Affectus discrepant. n. 21. Definitio affectuum Epicurea. n. 22. Eorum indifferentia. n, 23. Quibus modis anima ab affectibus moveatur? n. 24. Bestiæ quoque habent affectus. n. 25. Affectus duplices, animæ & corporis n. 26. De affectibus corporis, n. 27. De affectibus animæ. n. 28. De reliquis affectibus. n. 29. Sententia Cartesii, primum de diuersis passionibus animæ, n. 30. Definitio affectuum. n. 31. Sedes affectuum non est in corde, sed in glandulâ pineali. n. 32. Cartesius affectus bonos magis docet esse quam malos, n. 33. eosque supprimi quidem posse, sed non extirpari. n. 34. item bestias carere affectibus. n. 35. Sex passiones primariæ ex mente Cartesii. n. 36. cum affectibus inde derivatis. n. 37. 38. 39. 40. Error Cartesii, quod Admirationem affectibus annumerat, n. 41. Collatio Stoicorum & Peripateticorum. n. 42.

I.

SUperiori Capite docuimus amorem irrationalem esse appetitum voluntatis humanæ. Item significavimus in priori parte etiam amorem rationalem esse appetitum voluntatis: In eoque *amor* & *rationalis* & *irrationalis* conveniunt, quod uterque *motum* quendam *extraordinarium* in corde humano excitat, & *affectibus* annumerari debet. Sicut autem jam in cap. præcedenti differentiam gemini hujus amoris ostendimus, ita & insigniter *discrepant*, quatenus sunt *affectus*, dum ductus amoris irrationalis longe *fortior* est, *magi-*

gisque turbulentus, quàm amoris rationalis, adeoque inter ipsos etiam affectus distingvendum est. Ea differentia quò rectius intelligatur, summopere necessarium erit, ut de inclinationibus animi, sive de Affectibus tum in genere, tum in specie justam tractationem instituamus, maxime cum doctrina de Affectibus multiplicem ac ineffabilem in Eruditione utilitatem præstet, ab eruditis verò vel frigidissime, nec justo loco, vel maxima cum confusione atque dissensu tradatur.

2. Sine doctrinâ de Affectibus autor nullus rectè *intelligi*, nemo recte *doceri*, nec quicquam alicui *persvaderi*, nemo vel seipsum vel alios *cognoscere*, nil in *sanandis morbis* magnopere & cum fructu præstare, imo nec in *ecclesiasticis*, sive in correptione sive in consolatione sapienter versari potest, ut alias jam taceam utilitates.

3. His ita comparatis maxime dolendum est, neminem fere in *interpretatione* certi cujusdam autoris affectum ejus respicere, *informationem* juventutis secundum eorum affectus instituere, *proprium affectum dominantem* inquirere, vel de *affectu dominante aliorum*, quos cognoscere studemus, esse solicitum; in *sanandis ægrotis* medicinam affectibus eorum competentem procurare, nec in *ecclesiasticis* vituperationem vel consolationem diversis hominum affectibus aptare.

4. Quomodo vero id posset obtineri, cum ne intelligant quidem, *quid* & *quotuplices* sint af-

affectus, imo cum parum admodum de affectibus, idque non in loco competente, nimirum in Physica vel Ethica, sed si quid omnino præstiterunt, in Rhetorica, & obiter quidem doceant, ac vel *Aristotelem vel Cartesium fideliter exscribant*, nec curent quod uterque manifestos errores immiscuerit, nec eorum præcepta cognitionem vel sui vel aliorum magnopere juvent, unde & Gallus autor de la Chambre postquam ad ductum veterum Philosophorum multa scripsisset de affectibus, in tractatu de cognitione sui, tutissimum asylum quæsivit in Physiognomia, nec usum doctrinæ de affectibus monstrare potuit, quod ipsum alii etiam autores qui nostro ævo de affectibus scripserunt, e. g. Senaltius, aliique sunt experti. Etsi enim subtilia multa de affectibus garriant, pauciſſima tamen in usum aliquem converti possunt; licet inter hos omnes, mea quidem sententia emineat Petri Molinæi tractatus de pace Animæ, qui præ reliquis aliquam commendationem meretur.

5. Atque hæc quidem omnia inde evenerunt, quod *simplicem ac perspicuam* affectuum definitionem, quam tradi omnino oportebat, prætermiserunt, nec eorum fontem exquisiverunt, sed cum in definitione, tum in divisione eorum nescio quam *artem affectarunt*, ea solum intentione, ut major ipsis suppeteret rixandi materia & ut inanem aliquam autoritatem sibi compararent. Hinc semper inter eru-

eruditos disceptatum est: *An affectus caderent in bestias? An affectus natura sint boni, an mali? An extirpandi sint, an vero moderandi? An hoc vel istud affectibus annumerandum sit?* Adeo ut herculeo prope opus sit labore, si quis in tanta sententiarum diversitate penetrare, & justam veram perspicuamque definitionem elicere velit. Nos hoc capite pro maiori rei confirmatione breviter saltem opiniones Sectarum celebriorum indicabimus, ac deinde cap. sequenti mediante simplici indagatione ex hoc Labyrintho nos studebimus explicare.

6. Notæ sunt quatuor sectæ celebriores veterum Philosophorum, Platonis, Aristotelis, Zenonis & Epicuri. Ac Platonis quidem doctrinæ de affectibus rara in ejus scriptis reperiuntur vestigia, *nec Aristoteles quoad hanc longè à Platonicis recessisse videtur.* Quare loco Platonis, ostensis reliquis tribus sectis, sententiam Cartesii, utpote qui cæteroqui multa habet cum Platone communia, producemus.

7. Nec mirum est *Sectatores Aristotelis* in doctrina Affectuum non admodum concordare. Nam cum ipse Aristoteles, etsi in libris Rhetoricorum a) prolixe agat de affectibus, magis tamen eorum effectus exponat, quam ut accuratam eorum definitionem atque partitio-

a) lib. 1. Rethoric. b) Cicero Tusc. qu. l. 4. c. 5. p. m. 1087. Peripatetici ad placandos animos multa afferunt, spinas partiendi & definiendi prætermittunt.

tionem tradat b) ergo nec Peripatetici hic in omnibus consentire potuerunt.

8. Itaque cum Peripatetici tres Animas, vel tres animæ facultates (nam ne hic quidem consentiunt) rationalem, sensitivam & vegetativam statuant, quidam *affectus tantum in anima sensitiva collocant*, c) nonnulli vero *etiam in rationali* eosdem reponunt. d)

9. Appetitus sensitivus, in quo affectus sedem suam habere dicuntur, Aristotelicis duplex est, *concupiscibilis*, & *irascibilis*, etsi ne hic quidem in definiendis hisce conveniant, nonnullis appetitum concupiscibilem ad bonum, irascibilem vero ad malum applicantibus, aliis concupiscibilem ad bonum & malum in genere, irascibilem itidem ad utrunque, sed cum difficultate ac impedimentis coniunctum, referentibus. (e

10. Alii *affectus definiunt* vicissitudines animi cum voluptate ac dolore conjunctas, f) alii inclinationes hominis è cognitione boni & mali oriundas. g)

11. Cæterum *affectus* fere docent esse *natura sua indifferentes*, h) adeoque non extirpandos, sed *tantum moderandos*; unde & Stoici i) sæ-

c) Hornejus Ethic. l. 2. c. 6. p. 2. 11. 216. d) Vid. Patrem tab 9. Philosoph. Pract. conf. annot. 43. e) Pater Tab. 4. annot. 20. & tab. 9. an. 44. Conf. Hornejus d. l. f) Hornejus p. 212. 214. ex Aristotele II. Rhet. 1. g) Pater Tab. 9. h.) Arist. II. Eth. c. 5.

i) sæpe cum iis disceptant; Mirè tamen laborant, quemadmodum cum hac opinione sua concilient doctrinam præceptoris sui, qua *Invidiam* quoque & quæ sunt eius generis alia, affectibus annumerat. l)

12. Secundum communem sententiam Peripateticorum *Affectus bestiis cum homine sunt communes*, tribuunt enim bestiis animam sensitivam; m) necesse est tamen, ut qui aliquos affectus in animam rationalem collocant, n) eosdem soli homini proprios statuant.

13. Bonus Aristoteles nusquam Affectus in certas classes accurate distribuit, sed *modo octo* affectus numeravit: o) *Iram*, *Patientiam*, *Timorem*, *Misericordiam*, *Confidentiam*, *Gaudium*, *Amorem*, *Odium*; modo *undecim*: p) *Cupiditatem*, *Iram*, *Audaciam*, *Invidiam*, *Gaudium*, *Amicitiam*, *Odium*, *Desiderium*, *Æmulationem*, & *Misericordiam*. Atque hinc iterum factum est, ut ejus discipuli in affectibus dissideant.

14. Alii *quatuor* Affectus Cardinales Stoicorum retinent, alii sequuntur *distributionem Scholasticorum*; alii *alia* adhuc utuntur *Inventione*. q) Ac Thomæ quidem Aquinatis divisio ma-

i) Seneca de Ira passim. l) Horn. p. 223. seq. putat regulam valere saltem de summis generibus, non de mixtis. m) Fluit hæc assertio ex dictis n. 8. Conf. Horn. p. 222. & Aristotelicos passim. n) de quibus vide n. 8. o) l. 1. de anima, c. 1. p) l. 2. ad Nicom. c. 5. q) Vid. Patris Physicam cap. 48. qv. 107. sq.

magnæ est inter ipsos auctoritatis, is ita rem proponit: r) Cum animi tranquillitas oriatur e cognitione delectabilis & contrarii, boni & mali, & ad appetitum sensitivum pertineat, vel ad appetitum sensitivum pertineat, vel absolute ordinatur ad bonum vel ad malum, vel ea considerat ut aliquid arduum vel aliquid altum. Illæ passiones ad concupiscibilem pertinent, in quibns importatur ordo ad delectabile sensus absolute, vel ad eius contrarium; Illæ vero ad irascibilem, quæ ordinantur ad aliquid arduum. In illis voluntas terminatur vel ad bonum acquirendum, vel ad malum evitandum. Ex hoc sequitur *Amor* boni & *Odium* mali, vel movetur ad objectum, sic nascitur passio *desiderii*, quod dividitur in *Desiderium* boni, & *Fugam* mali. Vel quiescit in bono vel malo adepto, unde generatur *Gaudium* & *Tristitia*. Et hæ sunt sex passiones appetitus concupiscibilis. Per contrarium, cum appetitus objectum considerat ut aliquid arduum, pertinet ad appetitum irascibilem, in quo non consideratur inclinatio passionis, nam inclinatio ad bonum concupiscendū & ad malum evitandum præcedit, & pertinet ad appetitum concupiscibilē. Ideo in hac classe passio tantum consideratur ratione objecti nondum adepti, & si refertur ad bonum dicitur *Spes* vel *Desperatio*; si ad malum, *Timor* vel *Confidentia*. Deinde in

r) I. 2. qv. 23. c. 4.

in appetu irascibili nulla passio consideratur, ratione boni acquisiti, quia tum non habet rationem ardui, sed solum arduum, si acquisitum est, consideratur. Sed e malo præsenti, cum appetitus contra illud se elevare contendit, oritur *Ira*, cum vero quiescit, *Patientia*, quæ tamen non est affectus seu perturbatio animi, sed privatio potius seu carentia motus.

15. Videamus etiam sententiam *Stoicorum*, Prolixa ejus descriptio habetur apud Ciceronem s) Senecam t) Lipsium u) & Anonymum quendam Gallum; Nos summatim rem proponemus. Zeno Stoicorum progenitor, *Affectum definit* irrationalem & præternaturalem animi motum, seu immoderatam animi concitationem. y) Nam Stoici non passionem animi, quæ a corpore ipsi infligitur, sed actionem animi, & quando huic passioni contra sanam rationem assentimur, Affectum nominant. z) Processus actionum humanarum ab ipsis sequenti ratione proponitur: 1. *Fortuitus animi Impulsus*, quem patitur à corpore,

s) Cicero lib. 4. Tuscul. qu c. 6. usque ad c. 15. t) In scriptis suis passim, maxime in libris de Ira, Conf. Epist. 75. 85. & 116. u) Manuduct. ad Philos. Stoic. p. 278. sqq. x) in tractatu cujus titulus: l'Homme sans passions. p. 278. seqq. y) Diog. Laert. l. 7. in Vita Zenonis p. m. 249. Cicero IV. Tuscul. 6. z) Seneca de Ira lib. 2. c. 2. 3. 4.

quique homini invito contingit. v. g. cum fortissimus quis territus palleſcit, cum patientissimus irritatus excandeſcit, ex ipſorum ſententia non eſt affectus, ſed *paſſio animi*. 2. Sequitur *prima Voluntas* ſed non obſtinata, ut quando fortis fugere, patiens ſe ulciſci vult, ſed mox mediante ratione hunc motum ſupprimit. Hoc vocant *motum animi*, nondum tamen affectum. 3. *Secunda voluntas effrenis*, cum ſequenti motu ratio exceditur, & ſimul quaſi corripitur. v. g. ſi fugam aut vindictam intendo, cum non licet. Hoc demum ex eorum mente eſt *perturbatio animi*, (nil enim ipſis magis eſt frequentatum, quam Affectum nominare perturbationem animi) hoc principio eſt Ira & Metus. 4. Tandem inde naſcitur *morbus animi* i. e. Vitium, quando affectus diu eſt continuatus. Neque enim aliam agnoſcunt differentiam affectus & vitii, quam inter diſpoſitionem & habitum. a)

16. Sic cum ſtatuerent, non potuerunt non *affectus in univerſum malos* exiſtimare, quia principiū fuerunt morborum animi, & quia parvum etiam affectum parvum malum ſtatuebant. b) Item cum docebant, affectus non ſolum poſſe, verum etiam debere à viro bono ac ſapiente *domari* & prorſus *extirpari*; c) etſi levem & exilem

a) Vid. de Proceſſu iſto Senecam Epiſt. 75. p. m. 301. b) Seneca l. 1. de ira c. 16. c) Seneca lib. 2. de ira c. 12. & epiſt. 85. p. m. 336. ſq.

lem motum ipsi adhuc concedebant, quem cum cicatrice comparabant, & suspiciones quasdam seu umbras affectuum dicere solebant. d)

17. Necesse etiam fuit ut bestiis affectus omnes adimerent, sed impulsus saltem aliquos corporis affectibus similes eis tribuerent. e)

18. Habebant *quatuor* affectus primarios, horum duo bonum, duo vero malum, duo item præterita, duo futura respiciebant. Erantque *Cupiditas* seu Libido, *Lætitia* seu Voluptas, *Metus* & *Ægritudo*. His in viro sapiente opponebant tres bonas passiones seu motus. *Voluntatem*, *Gaudium* & *Cautionem*; Per *Voluntatem* intelligebant rationale quoddam desiderium boni absentis, quod *Cupiditati* opponebant; Per *Gaudium* motum sedatum atque constantem *Lætitiæ* oppositum: Per *Cautionem* prudentem declinationem futuri mali *Metui* oppositam. In præsenti malo sapientiæ nullus plane motus, stultitiæ verò dolor tribuebatur. f)

19. Ex his quatuor fontibus Affectus alios plures derivabant, 14. è dolore, 8 è metu, 3. è voluptate, & 7. è cupiditate, quorum hæ appellationes apud Ciceronem reperiuntur. Quatuordecim progenies seu rami doloris sunt: *Invidentia*, 2. *Æmulatio*, 3. *Obtrectatio*, 4. *Mi-*

d) Seneca lib. 1. de Ira c. 16. e) Seneca lib. 1. de Ira cap. 3. f) Vid. Cicer. & Laert. dd. ll.

fericordia, 5. *Angor*, 6. *Luctus*, 7. *Mœror*, 8. *Ærumna*, 9. *Dolor*, 10. *Lamentatio*, 11. *Sollicitudo*, 12. *Moleſtia*, 13. *Afflictatio*, 14. *Deſperatio*. Octo filiæ Metus ſunt: 1. *Pigritia*, 2. *Pudor*, 3. *Terror*, 4. *Timor*, 5. *Pavor*, 6 *Exanimatio*, 7. *Conturbatio*, 8. *Formido*. Tres affectus ad *Voluptatem* pertinentes 1. *Maleuolentia*, 2. *Delectatio*, 3. *Iactatio*. Denique 7. genera *Cupiditatis* ſunt: 1. *Ira*, 2. *Excandeſcentia*, 3. *Odium*, 4. *Inimicitia*, 5. *Diſcordia*, 6. *Indigentia*, 7. *Deſiderium*. Definitiones omnes extant apud Ciceronem. Operam autem dedi in exemplari Germanico, ut quantum poſſem nomina Germanica definitioni magis quam Latinis nominibus accommodarem.

20. *Fontem* omnium affectuum fingunt ex mente Ciceronis *Intemperiem* & *affectus inveterati* ſeu morbi animi, prout Cicero eos recenſet, ſunt ſequentes: 1. *Avaritia*, 2. *Gloriæ cupiditas*, 3. *Mulierоſitas*, 4. *Miſogynia*, 5. *Miſanthropia*, 6. *Inhoſpitalitas*, 7. *Pervicacia*, 8. *Liguritio*, 9. *Vinolentia*, 10. *Cupedia*.

21. Hactenus de Stoicis. Poſtquam *Epicuri* Philoſophia à Gaſſendo renovata, & à Bernerio in compendium contracta eſt; ex dictis duobus autoribus Epicuri doctrinam de affectibus breviter delineabimus. *Anima* hominis ex mente Epicuri duabus gaudet partibus, altera *rationali*, i. e. mente, altera *irrationali*, *ſenſione* nimirum, & *affectu* ſeu appetitu;

g) Mens

g) Mens in medio pectore, Sensio in toto corpore, Affectus partim in pectore, partim in aliis corporis partibus sedem suam habere dicitur. h)

22. *Affectus* juxta hanc opinionem sunt Motus animæ in pectore vel alia corporis humani parte sive ex opinione boni & mali (ut Ira) sive ex eorundem perceptione (ut dolor) oriundi. i)

23. Statuunt in definiendis affectibus non esse cogitandum, an affectus aliquis naturæ repugnet nec ne, id enim magis spectare ad Ethicam, quam ad Physicam affectuum contemplationem l) Adeoque *affectus per se* videntur habere *indifferentes*.

24. *Motus animæ* consistunt in depressione & elevatione, in contractione & extensione. *Voluptas* est elevatio & extensio seu effusio animæ, adeoque naturæ consentanea. *Molestia* naturæ contraria est, eo quod animam deprimit & coarctat. *Expansio* animæ fieri dicitur, quando objecta sensuum per atomos jucunda quadam allectione animum invitant & ad rem dilectam pertrahunt. *Coarctatio* vero, cum atomi rei cujusdam odiosæ animum quasi pungunt, ut se retrahat. m) Animum quietum aquæ immotæ comparant, sed animum affecti-

g) Gassendus in Philos. Epicur. Syntag. s. m. 404. h) Gassendus d. l. fol. 404. 410. 411. i) Bernier. dans l' Abrege de la Phil. de Gassendi Tom. VII. p. 487. l) Id. ibid. p. 488.

bus commotum aquæ in quam lapis esset conjectus. n) Magis tamen cum eorum hypothesi hæc comparatio concordaret, si posteriorem collationem ad expansionem saltem animi sive ad Voluptatem traherent, & coarctationem in Molestia cum Vortice aut simili quadam re compararent.

25. *Bestiæ* ex mente Epicuræorum *æque Affectibus* sunt *præditæ* ac homines, dum Leones iracundos, Cervos timidos, Boves medio quodam affectu tradunt o) & bestiis expresse affectus, item sermonem tribuunt. p)

26. Divisio Affectuum talis est; Alii *Animam magis respiciunt*, in pectore ex opinione boni & mali primum prognati, *alii Corpus*, in reliquis corporis partibus indiscriminatim, bonumne aliquid an malum sit, exorti. q)

27. Affectus *corporis* primarii duo sunt, *Voluptas* & *Gaudium* in re grata, & *Dolor* ac *Molestia* in re odiosâ. *Molestia* & Dolor inde oritur, quando aliquæ corporis partes extra statū suum naturalem ferro, igni, sangvinis effusione &c. positæ sunt. *Voluptas* verò cum sentimus has partes in statum suum ordinarium naturalemque restitutas. Unde sequitur Voluptatem propriè non esse, nisi ubi dolor præcesserit. Naturalis enim corporis status ex ipso-

m) Id. p. 488. 489 n) Id. p. 491. sq. o) Gassendus in Synt. p. 404. p) Id. ibid. c. 20. p. 413. Bernier T. VII. p. 495.

ipsorum opinione consistit in indolentia: Inter dolorem & Voluptatem interiacet *affectg intermedius Desiderii* seu Cupiditatis, qui nihil aliud est, nisi desiderium liberationis a dolore, & restitutionis in pristinum doloris defectum. Hoc desiderium sicut pro circunstantiarum varietate in omnibus membris existit, ita in his corporis partibus maximè deprehenditur, quæ *defectu alimentorum* vel *copia seminis* gravantur, id quod inde fieri videtur, quod hujusmodi desideria non ut reliqua unius saltem membri conservationem, sed illa totius hominis, hæc universi generis humani conservationem intendant. Item duo hæc desideria hoc habent præ reliquis peculiare, quod Voluptas cum ablatione doloris conjuncta sit, quæ tamen voluptas saltem ut aliquid accidentale considerari debeat, à natura ordinatum, ut homo & cætera animalia maturius invitentur ut molestiam à se amoliantur, non tanquam finis desiderii, cum quamprimum homo ab hac molestia liberatus est, voluptas cesset, solusque defectus doloris reliqvus sit. Ac bestias voluptatis quidem semel perceptæ memoriam habere, eoque elaborare, quemadmodum hanc tanquam unicum scopum suum repetant; eam tamen voluptatem seipsam quasi denuò excitare, nullaque memoria nec judicio opus habere, sed solam sufficere præsentiam molestiæ. Ideoque has cupiditates quasi cœcas esse, nec futuri ullam rationem habere, sed solam quærere præ-

præsentis incommodi liberationem. Adeoque Dolorem, Desiderium atque Voluptatem esse tres affectus qui *nec rationem nec judicium requirant*, quique à *brutis animantibus & à pueris* sentiantur, quippe qui statim post partum frigus sentiant, & calorem appetant, deinde famem experiantur, & lacte materno se delectent. &c. r)

28. Sequuntur affectus *mentem* primariò respicientes quique in pectore sive in corde nascuntur, *prævia imaginatione & dijudicatione boni & mali*, à quibus deinde reliquæ corporis partes, hoc tamen cum discrimine moventur: Hæc dijudicatio motum hunc reliquorum membrorum quasi imperat, isque adeo voluntarius statuitur, cogitationibus tamen ac voluntati cordis nil præscribit, sed voluntas naturaliter per præsentiam hujus imaginationis excitatur. Ita motus imaginationis respectu cordis igni in ligno viridi comparatur. In corde etiam duos ponunt affectus primarios, *Voluptatem* & *dolorem*, quorum ille ex imaginatione boni præsentis, hic ex imaginatione mali præsentis procreatur. Ideoque Voluptatem purum esse bonum, cum propter seipsam expetatur, contrà Dolorem esse purum malum, cum propter seipsum fugiatur, Reliqua Bona & Mala, videri saltem talia, quatenus Voluptatem vel Dolorem efficiant. s)

29. Re-

r) Bernier d. l. p. 496. usque ad p. 500. s) Bernier p. 500. seqq.

29. Reliqui affectus omnes Epicureis ad modo enumeratos reduci possunt, ajunt enim eos exoriri non solum super rebus præsentibus, sed etiam super præteritis & futuris. Ita duos affectus tria illa tempora comprehendentes vocari *Amorem* & *Odium*, Amorem enim non solùm considerare delectationem præsentem, sed etiam rem quæ nos delectaverit, & delectare deinceps posset; Id quod similiter de Odio quoque statuendum. Cum bonum præsens esset vel præterierit, animam in eius fruitione quasi quiescere, cum futurum esset vel absens, animum per *Desiderium* vel *Spem* ad bonum moveri, eamque esse inter utrumque hunc affectum differentiam, quod desiderium sit absq; imaginatione rei obtinendæ, Spes vero cum eiusmodi imaginatione copulata sit. Duobus his affectibus mali respecti opponi, desiderio quidem *Fugam* sine imaginatione, an malum illud nos opprimet, & *Metum*, qui malum sibi simul imaginatur; Rursus è spe oriri *Confidentiam*, è metu *Desperationem*. Porro è confidentia *Audaciam*, & è desperatione *Pusillanimitatem*. Postremo *Iram* tanquam affectum è præcedentibus omnibus compositum censeri, eique ut binarius numerus completus sit, *Patientiam* adjungi posse. t)

30. Nunc *Cartesii* hypothesin de Affectibus exponemus; Is ita de affectibus ratiocinatur: Homo ex duabus partibus consistit, Animâ & Cor-

t) Bernier. p. 504. sqq.

Corpore. Calor & Motus dependent à corpore, cogitationes vero ab animâ. u) Cogitationes hominis duplices sunt, aliæ sunt *Actiones animæ*, nimirum omne id *quod homo vult*, quia deprehendimus id omne rectà ab animâ proficisci, ab eaque sola videtur dependere, aliæ sunt *Passiones animæ*, sive Affectus animæ, quo generatim omnes animæ perceptiones & notitiæ referri possunt. x) Hæ *Perceptiones* duplices sunt, aliæ *ab anima nostrâ*, aliæ *à corpore* oriuntur, Ac hæ quidem quarum *anima* causa est, sunt perceptiones *voluntatis nostræ*, omniumque imaginationum atque cogitationum quæ ab animâ dependent. Certum enim est quod nil velle possumus, ubi non simul id nos velle percipiamus. Et licet respectu nostri velle actio animæ sit, dici tamen etiam potest ei passionem quandam inesse, quando percipit se aliquid velle. Cum autem hæc perceptio & hoc velle unum idemque sit, denominatur semper ab eo quod nobilius est, adeoque non passio sed actio nuncupatur, y) id quod eadem ratione de imaginationibus aliisque cogitationibus, quæ per animam formantur, dici debet. z) Perceptiones *mediante corpore* excitatæ, maximam partem *à nervis* dependent; Aliæ verò sunt *imaginationes* à spiritibus corporis diversimodè agitatis contra hominis voluntatem pro-

u) Cartes. de Passion. Part. 1. art. 2. 3. 4. x) Cartes. art. 17. y) Id. art. 19. z) Id. art. 20.

provenientes, ut somnia & phantasmata, cum vigilantes cogitationes nostras non ad certum objectum dirigimus, sed evagari patimur. Etsi autem ex his imaginationibus nonnullæ sint passiones seu affectus animæ, vocabulo hoc in strictiori sensu accepto; imo etsi omnes in laxiori sensu pro affectibus venditari possent; tamen cum causam tam notabilem ac determinatam non habeant, quam perceptiones nervorum, sed harum quædam quasi sint umbræ atque picturæ; necesse est, ut earum diversæ species considerentur. a) Ex his enim alias *rebus externis* sensus nostros ferientibus, alias *corpori*, alias *animæ* nostræ tribuimus. b) Ad *primam classem* pertinent perceptiones hujus soni, hujus lucis, campanæ vel faci tributorum. c) Ad *secundam classem* referuntur perceptiones famis & sitis, doloris, caloris, quas membris corporis nostri quasi inesse sentimus. d) Ad *postremam classem* spectant omnes imaginationes quarum effectus in ipsa quasi animâ sentiuntur & quarū nulla vulgo cognoscitur causa proxima, ut sensus Lætitiæ, Iræ, & similiū qui aliquando excitantur in nobis per objecta quæ movent nervos nostros & quandoq; etiam per alias causas. Etsi autem omnes nostræ perceptiones tam eæ quæ referuntur ad objecta quæ extra nos sunt, quam quæ referuntur ad diversos affectus nostri corporis sint revera passiones respectu nostræ animæ, cum hoc ver-

a) Id. art. 21. b) art. 22. c) art. 23. d) art. 24.

verbum in lationi significatione usurpatur, attamen id solet restringi ad eas demum connotandas, quæ referuntur ad animam ipsam. Et hi hoc loco *sub nomine Affectuum seu passionum animæ intelliguntur.* e) Notandum tamen hic est, omnes perceptiones quas anima opera nervorum percipit, etiam per imaginationes à spiritibus corporis impulsas velut umbras repræsentari posse, ita tamen, ut imaginationes passionum externis rebus ipsique corpori tributæ, v. g. soni, odoris, famis, vulnerationis, &c. nos sæpe decipiant, imaginationes verò passionum animæ attributarum nos decipere nequeant; Cum enim in somno gaudium vel tristitiam, vel alium quendam Affectum nobis imaginamur, semper verum est, animam nostram reapse hanc passionem percepisse. f)

31. Hactenus Cartesius materialia ad definitionem affectuum congessit. Ex his jam tale format ædificium: *Affectus seu passiones animæ sunt* perceptiones, aut sensus aut commotiones animæ, quæ ad eam speciatim referuntur, quæque producuntur conservantur & corroborantur per aliquem motum spirituum. g) Vocat *perceptiones*, quia omnes cogitationes hominis excepta Voluntate perceptiones dici possunt. Vocat *Sensationes*, quia ab animâ æque ut objecta sensuum externorum percipi possunt. Vocat *Commotiones*, quia nul-

e) art. 25. f) art. 26. g) art. 27.

nullæ cogitationes animam fortius agitant atque exercent quam Affectus. h) Quod *animæ eos peculiariter tribui* ait, ideo factum est, ut à sensationibus Soni, Colorum, Famis, Sitis &c. eos discerneret. Quod autem *affectus motu spirituum nutriri* asserit, eò fecit, ut ab actione voluntatis nostræ eos distingueret, quæ actio non tantum ad animam refertur, sed & ab anima verè repræsentatur & efformatur. i)

32. Deinde etiam prolixe ostendit Cartesius, quod passiones affectuum sedem suam non in corde, ut vulgò statuunt, sed *in cerebro*, & quidem in glandulâ pineali, habeant, ubi simul mentem suam exponit, quomodo affectus in anima generentur. l)

33. Principalis effectus omnium affectuum est, animam incitare eoque disponere, ut id velit, quod ad hominis conservationem conducit. m) Et ita Cartesius *affectus bonos magis* statuit esse, *quàm malos*.

34. Deinde agit de potestate voluntatis in affectus, statuitque affectus à voluntate *non directè excitari posse vel auferri*, sed quasi *indirecte* per repræsentationem rerum, quæ solent jungi passionibus quas habere volumus, & quæ contrariæ sunt iis quas volumus reiicere. Potest tamen anima spiritus nervos ad motum membrorum extendentes directè retrahere ac reti-

D nere

h) art. 28. i) art. 29. l) art. 30. usque ad art. 39.
m) art. 40. Conf. Part. 2. art. 52.

nere. n) Unde liquet, quod Carteſius ſtatuat affectus *reprimi quidem* poſſe atque debere, ſed *non extingui*; Idem alibi innuit: o) Poſſe animas maxime imbecilles acquirere poteſtatem abſolutam in paſſiones ſuas, ſi ſat induſtriæ adhibeant, ad eas inſtituendas & dirigendas.

35. Beſtias expreſſe ait p) etſi ratione, & & forte (*forte* hoc non intelligo, & vellem id à Carteſiano quodam mihi explicari) cogitatione careant, tamen motu ſpirituum & glandis, qui excitant in nobis paſſiones, æque gaudere, eumque motum efficere ut non affectus quidem, ſicut in homine, motus tamen nervorum & muſculorum conſerventur ac augeantur; Quibus verbis *Beſtiis affectus diſerte adimit.*

36. Carteſius *ſex* fingit *Affectus primarios* 1. *Admirationem.* 2. *Amorem* 3. *Odium* 4. *Cupiditatem.* 5. *Lætitiam.* 6. *Mœrorem* q) ex quibus cæteros affectus omnes, & ſequenti quidem ratione deducit:

37. *Admiratio* oritur è contemplatione objecti, quod novum & inſolitum eſſe judicamus; hinc naſcitur *Exiſtimatio* vel *Contemptus*, prout obiecti magnitudinem vel parvitatem admiramur. Jam cum noſipſos exiſtimamus vel contemnimus, inde reſultant ex una parte *Magnanimitas* vel *Superbia*, ex altera parte *Humilitas* vel *Ab-*

n) Art. 45. 46. o) art. 50. p) eod. art. 50. q) vid. art. 69.

Abjectio. Quando vero his in alios incidimus, affectus is dicitur *Veneratio*, vel *Despectus*. r)

38. Dicti affectus omnes absque respectu boni vel mali considerari possunt. Cum vero aliquid nobis tanquam bonum vel malum seu noxium repræsentatur, *Amorem* & *Odium* in nobis excitat. s)

39. Ex eadem consideratione boni & mali reliqui affectus omnes proveniunt, ac respectu quidem futurorum, *Cupiditas* cum boni acquirendi, tum mali declinandi, Ea cupiditas vocatur *Spes*, quando nobis propositum tanquam effectu facile præfiguramus, *Timor* vero, quando rem cum difficultate conjunctam sentimus. Ad timorem *Zelotypia*, tanquam eius species referri potest. Spes maxima *Securitas* vel *Fiducia*, extremus Metus *Desperatio* appellatur. Cum verò speciatim consideramus aliquid a nobis ipsis efficiendum, ibique difficultatem in electione mediorum deprehendimus, is affectus vocatur *Animi fluctuatio*; Si vero difficultas reperitur in praxi, eidem *Animositas* vel Audacia, ad quam Æmulatio refertur, opponitur. *Pusillanimitas* animositati, & *Terror* seu *Consternatio* Audaciæ adversatur. Denique si actionem aliquam decernimus, animo adhuc fluctuante, inde ait provenire *Synteresin*, seu Conscientiæ morsum, eos tamen affectus non, ut in præce-

r) art. 53. 54. 55. s) art. 56.

dentibus contingit, futura, sed præcedentia ac præterita respicere. t)

40. Boni & mali præsentis consideratio, si nos ipsos tangit, *Gaudium* & *Tristitiam* excitat; Sin alios, eos vel existimamus id mereri, ac tum nil aliud in nobis oritur quam *Gaudium*, hoc gaudium tamen in malo alterius cum *Irrisione* est conjunctum: Vel id aliis indignis putamus evenire, vocaturque is affectus respectu boni, *Invidia*, respectu autem mali *Commiseratio*, quorum uterque species quædam est tristitiæ. Porro si nosipsos tanquam causam boni vel mali acquisiti consideramus, nascitur *Acquiescentia in se* & *Poenitentia*, quarum illa dulcissimus, hæc amarissimus est affectus. Sin alios, intuitu boni *Favor* gignitur & *Gratitudo*, prout bonum id vel aliis, vel nobisipsis contingit; intuitu autem mali, *Indignatio* favori, & *Ira* gratitudini opposita. Et quando cogitamus, quod ab aliis boni malive causa habeamur, inde *Gloria* vel *Pudor* concitatur. Sicut autem duratio mali Tristitiam minuit; ita e duratione boni *Satietas* sive *Fastidium* procreatur. Denique cum bonum vel malum præteriit, efficit *Desiderium* tristitiæ, & *Hilaritatem* lætitiæ affines. u)

41. Hoc adeò fundamentum est doctrinæ Carteſii de affectibus, in quâ sicut aperte à sententiis reliquorum Philosophorum omnium,

t) art. 57. 58. 59. 60. u) art. 61, usque ad 67.

um, excepto Epicuro in eo discedit, quod *cognitionem boni & mali*, tanquam causam affectuum non statuit partem necessariam in affectuum definitione, ab universis, quod *Admirationem* cum eius speciebus peculiarem affectum, à bono & malo abstrahentem docet; Ita quam frequenter hic hallucinatus sit, capite sequenti prolixe ostendemus. Notandum solum hic est, *erroris hujus ansam hoc fortasse dedisse* Cartesio, quod *affectus non ad Voluntatem* refert, sed ad intellectum; x) (Admiratio enim in intellectu est.) Quem errorem verosimiliter inde contraxit, quod *omnes actiones animæ Voluntati* tribuit, y) ubi necesse est intellectui nil relinqui præter Passiones; Cum intellectus æque activas habeat cogitationes, videlicet cum homo data opera aliquid meditatur, quam voluntas passivas, nimirum quando ab affectibus impellitur. z)

42. Cæterum de sententiis Cartesii, Gassendistarum, Stoicorum & Peripateticorum, capitibus sequentibus in formatione perspicuæ definitionis & accuratæ divisionis affectuum suo loco plura commodius monebimus. Hoc saltem breviter notabimus, *risum mereri*, cum v. g. *Stoici cum Aristotelicis disceptant* de

x) Vid. suprà §. 30. ex art. 17. 19. item §. 31. ex art. 29. y) Vid. supra §. 30. ex art. 17. z) Vide Introduct. ad Logicam cap. 3. num. 67. 68.

quæstionibus: An affectus boni sint, an mali? An extirpari possint? An Bestiæ affectus habeant? &c. quia de diversissimis rebus digladiantur, dum affectus diversissima ratione definiunt, & alius de cepis, alius de allio loquitur. Etsi Seneca quoque eundem errorem sæpius erravit. Negari tamen non potest *doctrinam Stoicorum melius cohærere quam Peripateticorum*, utpote qui proprio gladio jugulari atque convinci possunt, quod *bestiæ affectibus careant.*

CAPUT III.
DE
ACCURATA DEFINITIONE AFFECTUUM.
SUMMARIUM.

Quæ in Definitione Affectuum observanda sint n. 1. Exempla quorundam Affectuum n. 2. Affectus sunt Motus animi n. 3. In affectibus quatuor Motus species notandi sunt. n. 4. (1) Motus externus n. 5. (2) Internus Corporis qui affectum præcedunt, non autem ipse affectus sunt. n. 6. Primus motus in voluntate, qui ipse est affectus contra Stoicos. n 7. (4.) Secundus motus turbulentus voluntatis, qui est continuatio, & è mente Stoicorum principium Affectus. n. 8. Cum affectus inclinatio animi appellatur n. 9. per inclinationem actio potius quam passio voluntatis intelligitur. n. 10. Affectus tamen passio animi vocari potest. n. 11. Affectus sunt in Voluntate, non in intellectu. n. 12. Causæ cur Cartesius Affectum in voluntate non quæsivit. n. 13. (1) Quia voluntati meras actiones tribuit. n. 14.

14. cum voluntas æque ac intellectus tam actiones quam passiones habeat, n. 15. Sine passionibus actiones non sunt aliquid reale. n. 16. Intellectus ac Volunras arctissimè copulata sunt. n. 17. sed non sunt unum idemque n. 18. Perceptio intellectus est in cerebro, inclinatio in corde. n. 19. Inclinatio & impulsus voluntatis non sunt cogitationes n. 20. ideo natura hominis magis consistit in inclinatione animæ quam in cogitationibus. n. 21. Definitio voluntatis, n. 22. Ex his annotatis Definitio hominis suppletur. n. 23. Intricatio doctrinæ Cartesianæ de differentia affectuum aliarumque passionum animæ n. 24. (2) Quia admirationem affectibus annumerat. n. 25. Postremus hic error plures secum trahit (a) Quod Cartesius id quod affectus sequuntur, cum affectibus confundit n. 26. (b) Quod Magnanimitatem & Humilitatem pro speciebus Admirationis venditat n. 27. (c) Quod Affectus ex admiratione genitos censet esse affectus absque respectu boni vel mali, eosque nec ad amorem nec ad odium referri posse. n. 18. Error Epicureorum & Peripateticorum, quod bestiis affectus tribuerunt n. 29. Voluntas semper movetur ab odiosis ad accepta, vel vice versa ab acceptis ad odiosa. Cur solus Cartesius a communi opinione recedat? n. 30. Cur loco boni & mali usurpentur vocabula grati & odiosi? n. 31. Voluntas non semper ad ea sese convertit, vel ab his se avertit, qvæ intellectus bona vel mala cognovit, sed interdum saltem. n. 32. Sub bono & malo etiam species imperfectæ comprehenduntur n. 33. Omnes Affectus moventur ad futura vel absentia n. 34. Quod in omni motu contingit. n. 35. Ideo voluptas & dolor affectibus non sunt annumerandi n. 36. quandoquidem ad intellectum potius quam ad voluntatem spectant n. 37.

Super præteritis ac futuris nec dolor nec voluptas sentitur, nisi cum ea repræsentantur ut præsentia. n. 38. 39. Desperatio quoque respicit futura. n. 40. Duratio sive Auctio præsentium etiam futura est. n. 41. nec confundenda cum præsenti n. 42. Origo affectuum. n. 43. Affectus oriuntur a sensibus. n. 44. Ad quos refertur etiam sensio affectuum nostrorum n. 45. Sensus hi à rebus externis, quæ sunt extra cor humannm, impressionem patiuntur, n. 46. Cur Aristotelici famem, sitim &c. sensibus non annumeraverint? n. 47. Ad has res externas cerebrum quoque referendum est. n. 48. Fortis hæc impressio rerum externarum hic in corde percipitur. n. 49. Nec obstat cor esse Musculum n. 50. Sensus cordis oritur è sanguine n. 51. & interdum præcedit sensum nervorum in cerebro. n. 52. Fortes impressiones sunt vel naturales, vel voluntariæ n. 53. Naturales habent causas vel occultas vel manifestas. n. 54. Hæ nascuntur partim è forti commotione, n. 55. partim è sensibiliori alteratione. n. 56. Quomodo duo hæc impressionis genera invicem discernantur. n. 57. 58. Definitio impressionum voluntariarum. n. 59. Differentia erronea impressionum naturalium & voluntariarum. n. 60. 61. Fortem hanc impressionem sequitur extraordinarius sanguinis motus. n. 62. Is motus sanguinis non dependet à motibus nervorum in cerebro: Differentia Terroris & Metus. n. 63. 64. Motus nervorum interdum quidem cum affectibus conjunctus est, sed non semper. n. 65. Responsio ad nonnullas objectiones. n. 66. Quid significet motus extraordinarius? n. 67. 68. Consistit vel in dilatatione vel in compressione. n. 69. Integra definitio Affectuum è toto capite contexta. n. 70.

I.

TOt & tam diversis de natura affectuum opinionibus è superiori capite intellectis, jam tentandum porro est, num ipsi quoque accuratam eorum *Definitionem* invenire queamus, ita ut tum *sine respectu autoritatis humanæ*, sequamur ea quæ ipsi vera esse cognovimus, tum quos omnes confirentur esse affectus, non negemus esse affectus, soloque *pruritu novitatis*, *vetustis rebus nova nomina* imponere vel meras λογομαχίας serere studeamus.

2. Primùm igitur conquirenda sunt *Exempla* eorum quæ ab omnibus Philosophis pro affectibus agnoscuntur, ut veritatem eò facilius indagemus. Ea sunt: *Amor*, *Odium*, *Metus*, *Spes*.

3. Philosophi omnes affectus sub conceptu *Motus* sibi imaginarunt, nec nos hîc quicquam novi afferemus, sed Affectus tanquam *Motus animi* nobis proponemus. Cum autem in quolibet affectu plures motus deprehendantur, duobus saltem exemplis rem illustrabimus, ut rectius omnis evitetur confusio.

4. Si rem aliquam deamare incipio, vel aliquid metuo, tum 1. *res externa* movet partes *corporis* mei sensibus debitas, & per eas 2. *spiritus* corporis in *nervis* vel in *sanguine* hospitantes, quorum illi deinceps se dilatant vel contrahunt, hi verò sanguinem velocius vel tardius movent. Hunc motum sequitur 3. *motus* voluntatis fluctuans, ac inter viam prudentiæ &

ſtultitiæ quaſi *vacillans*, quam tandem 4. ſubſequitur *motus voluntatis paullo tranquillior*, vel *magis turbulentus*.

5. *Primus motus* ſenſuum à rebus externis proficiſcens, ſemper quidem *præcedit affectus*, à nemine tamen, quod ſciam, pro ipſo affectu habitus eſt. Hunc diſcriminis cauſa vocabimus *externum motum corporis*.

6. Et quia *ſecundus motus ſpirituum* in nervis & in ſanguine etiam eſt motus corporis, qui ad differentiam motus prioris, *motus corporis internus* appellari poteſt, tamen cum nemo Philoſophorum affectus ſtatuerit eſſe motus corporis, ſed animæ vel menti eos tribuerint, ideo hic motus *non eſt ipſe Affectus*, ſed *aliquid affectum præcedens*. Nec obſtat quod Stoici hunc motum Paſſionem animi a) vocarunt, id enim eò factum eſt, quod internus hic corporis motus animum hominis contingit eumque impellit, reapſe tamen eſt aliquid extra animum.

7. *Tertius motus* Animam concernens, & qui *primus Animæ motus* eſt, ab Ariſtotelicis *habetur pro Affectu*, & ni fallor, Epicurei & Gaſſendiſtæ, item Carteſiani hic conſentiunt. *Soli Stoici* hunc negarunt eſſe affectum, b) qui facile tamen refutari poſſunt. Cum enim ſtatuant, in perturbatione animi affectum conſiſtere c) parum urgebantur hic ut a reliquis Phi-

a) Vid. Cap. 2. n. 15. b) vid. cap. 2. §. 15. c) ibid.

Philosophis dissentirent. Sane medium quid inter perturbationem animi eiusque quietem agnoscunt. Quomodo autem hunc motum pro quiete vel motu quieto venditare possunt, cum doceant hominem magnanimum isto in motu fugam, & patientem vindictam intendere, mox tamen ratione reprimere? d) Ecce hic duos motus contrarios se invicem mox consequentes, qui absque inquietudine considerari nequeunt: Et licet hanc voluntatem negent esse pertinacem, tamen hoc causæ non patrocinatur, quia inquietudo, trepidans æque est inquietudo ac inquietudo pertinax, etsi hæc maiorem gradum præ illâ teneat.

8. *Quartus motus* quoad is *in inquietudine* pergit, ab omnibus, ipsis etiam Stoicis habetur pro affectu; e) Nisi quod Stoici hic *initium affectus* quærere incipiant, ipsis contra Aristotelicis cum reliquis maiori jure tertium motum pro initio, & quartum hunc motum *pro Affectus progressu* habentibus. Nos ad meliorem distinctionem motum tertium *Animi inclinationem*, quartum verò *Animi impulsum* appellabimus.

9. Notandum tamen est circa vocabulum *Inclinationis animi*, id geminæ considerationi occasionem præbere, *actionis* videlicet, ac *passionis*. Nam dum voluntas ab interno corporis motu ad inclinationem impellitur, patitur

d) ibid. e) ibid.

ritur aliquid; dum autem eâ quâ pollet facultate non utitur, vel corporis impulsui cedit, & externas actiones secundum eum dirigit, tum agit aliquid.

10. Cum vero Affectus inclinatio animi vocatur, magis respicitur *actio* quam *passio* voluntatis. Opus ergo est cautione, ne cum Cartesio affectum nudam passionem sive *perceptionem, vel sensum animæ* statuamus f) solum enim is hic intelligit *perceptionem motus corporis, vel motus animi.* Ea vero *non est affectus*, cum perceptio *in intellectu*, affectus autem percipiens *in voluntate* sedem habeat.

11. Nihilominus Affectum in certa significatione *Passionem animi* appellare possumus, quod Animus per superius dicta in affectu non sua sponte moveatur, sed *à sensibus impellatur.* In hac significatione etiam in Logicâ quasdam cogitationes passivas vocavimus, etsi cogitatio in genere sit actio.

12. Iam cum affectus sit *motus*, *inclinatio* & *passio* animæ, porro sequitur vt scrutemur, num is sedem habeat in intellectu, an in voluntate? Omnes Philosophi affectum ponunt *in voluntate*, vel in appetitu ad voluntatem prope accedente, excepto Cartesio, qui affectum in Intellectu vel saltem *non in voluntate* locat. g) Ea sententia uti maxime paradoxa est, & ab uniuscujusque perceptione, præ-

f) cap. 2. n. 31. g) cap. 2. n. 30. 31.

præcipue vero per exempla amoris, metus, spei &c. refutatur, vtpote quæ manifestæ sunt inclinationes voluntatis; ita breviter considerabimus *quibus rationibus Carteſius seductus in hunc errorem inciderit.*

13. Videtur id duabus è causis profectum: 1. Quod *omnes animæ actiones voluntati*, passiones intellectui tribuit. 2. Quod Admirationem habuit pro affectu, quorum utrumq; æque est confictum, quam affectū non esse in voluntate.

14. Ac prior quidem error Carteſii patet ex his quæ de eius sententia supra attulimus: h) *Omne id quod homo vult, Actiones esse animæ, cætera Passiones seu perceptiones animæ.* Cum quemque propria perceptio doceat, *tam intellectum quam voluntatem suis gaudere cum passionibus, tum actionibus.*

15 *Passio intellectus est sensibilis perceptio; Actio intellectus* dicitur interna *Ratiocinatio. Passio voluntatis* vocatur *Inclinatio, Actio;* Delectus & Spontaneitas, seu *Impulsus voluntarius.*

16. *Sine præcedentibus passionibus actiones animæ non sunt aliquid activum.* Ecquis enim quicquam ratiocinando valet colligere, nisi quod prius per sensus percepit; Et quis aliquid potest eligere, si nullam plane ad rem istam apud se inclinationem deprehendit.

17. *Intellectus* tamen *cum Voluntate arcte copulatus est*, ita ut se mutuò impellant. Intellectum

h) supra cap. 2. n. 30. 31.

lectum, si ei aliquid in sensus cadit, voluntas adjuvat, ut ad Ratiocinationem se accingat, vel eam defugere quærat. Et cum voluntas ad aliquid trahitur, intellectus id ipsum, cum mediis & viis eò pertinentibus contemplari adjuvat.

18. Æque autem ut in Saccharo conjunctio dulcis saporis & albedinis non facit ut albedo & dulcedo sint unum idemque; ita conjunctio intellectus & voluntatis in anima humana efficere nequit, *ut intellectus & voluntas idem sint* Unde iterum Cartesius humanum quid passus est, quando docuit: *Hanc esse passionem voluntatis cum anima aliquid se velle percipiat, & quod ea perceptio cum dicta voluntate reapse coincidat.* i) Posita enim eorum identitate, secundum mentem Cartesii poneretur quoque pasionis & actionis identitas, id quod esset absurdum. Et cum anima percipit se aliquid velle, tum velle istud est in voluntate, eius autem perceptio in intellectu, porro hæc duo ideo unum quid esse non possunt (etsi uni animæ insunt) quia in diversis corporis partibus percipiuntur.

19. Nam *perceptio me aliquid velle, æque ut aliæ cogitationes omnes, sentitur in cerebro fieri; Inclinationem* vero *ac impulsum voluntatis* quisque sentiet *in corde suo contingere*, etsi eundem in cerebro & mediante intellectu percipit, veluti si

i) d. n. 30.

si chordam in altera extremitate dentibus apprehendam eandemque in oppositâ extremitate percutiam, ictus in oppositâ parte reapse contingit, etsi eundem in dentibus percipiam, adeoque ictus & perceptio idem esse non potest.

20. Ex hâc διαιρέσει necessariò sequitur *actionem ac passionem Voluntatis natura à cogitationibus differre*, adeoque Cartesium, quando ait: *Homo dum vult, cogitat*, rectè quidem hactenus statuere, quod τὸ cogitare & τὸ velle in animâ humana copulata sint, quodque simul sint tempore, neutiquam verò quando unà cum aliis Philosophis omnibus affirmat, τὸ velle & τὸ cogitare unum quid esse, vel clarius: Voluntatem consistere in cogitatione. Cogitationes enim ad solum spectant intellectum.

21. Æque falsum est, *naturam hominis*, quâ is à brutis animantibus discernitur, *in solâ cogitatione consistere; Inclinatio* enim *ac Impulsus voluntatis longe propior essentia animæ est, quàm cogitatio intellectûs*; Quæ inclinatio adeo à gentilibus Philosophis, horumque sectatoribus in Academiis in universum prætermissa est, vel cum Intellectu eiusque cogitatione confusa.

22. Est itaque *Voluntas potentia animæ humanæ, vi cujus homo ad rem aliquam inclinatur, ac reliquas potentias suas deinceps impellit ad aliquid agendum.*

23. Et

1) c. 3. n. 60.

23. Et quoniam in Introd. Logica l) communem opinionem secutus, cogitationis vocabulum in definitione hominis in tam latâ significatione sumpsi, ut actio quoque Voluntatis eâ includeretur, is defectus ita potest emendari: *Homo est Ens corporeum, quod se mouere, cogitare & ad aliquid inclinare seque impellere potest.* Etsi defectus dictæ definitionis in Logicâ non ita magnum præjudicium excitare potuit, cum ea primario emendationem intellectûs intendat, ad quem scopum sufficere poterat hominem per cogitationem à bestiis distinxisse.

24. Reuertamur ad Cartesium. Is si non prolapsus esset in errorem, voluntatem meris ex actionibus consistere, passiones verò animæ extra voluntatem quærendas esse, magno labore supersedere potuisset, quo annititur *passiones affectuum à reliquis animæ passionibus discernere,* m) quo Lectori tantum abest ut hujus discriminis perspicuum conceptum ostendat, ut confusum magis eundem relinquat.

25. Supra itidem dilucidè ostensum est n) Cartesium *Admirationem affectibus annumerare,* ex eâque *Existimationem* & *Contemptum* deriuare. Etsi autem hoc novâ refutatione non egeat, quandoquidem *Admiratio secundum uniuscuiusque perceptionem non in voluntate, sed in intellectu est,* adeoque affectus esse non potest; Cartesius tamen inde hujus erroris ansam fortè captauit, quod

m) vide supra c. 2. n. 30. n) [illegible] n. 36. 37. p.

quod *affectus admirationem nonnunquam consequentes, certas admirationis species esse statuit*, cum aliquos tamen imiscuerit, o) ut *Magnanimitatem*, *Abjectionem*, &c. qui affectus nil prorsus habent cum admiratione commune; item quod contendit *dictos affectus omnes absque respectu, num res bona sit, an mala, excitari*, adeoque *ex amore & odio deriuari non posse*; quæ iterum novi sunt errores.

26. Primum enim non sequitur: *Quia admirationem affectus sequuntur, ex eaque nascuntur, ergo admiratio etiam est affectus.* Ita enim primus & secundus motus corporis etiam deberent esse affectus, cum affectus inde nascantur.

27. Deinde etiam *Magnanimitas* & *Abjectio non inde procreantur*, quod nosipsos habemus pro re quâdam nova atque insolitâ, quemadmodum is *admirationem* definit, sed potius ex amore rationali & irrationali.

28. Item *ex his duobus affectibus, etiam reliqui quos Cartesius ex admiratione deducit, derivari possunt*, & cum ipse Cartesius fateatur p) Amorem & odium absque intuitu boni & mali esse non posse; sponte suâ corruit eius opinio, *eosdem absque consideratione bonane res ista sit, an mala, excitari.* Reliqua quæ circa admirationem eiusque filias monenda restant, in distributione affectuum simul persequemur.

29. Porro quantum Cartesius peccavit,

o) d. c. 2. n. 38. p) d. n. 38.

quod affectus quæsivit extra voluntatem, tantum *Epicurei* hallucinati sunt, *quod Bestiis affectus tribuerunt*, quia bestiis æque ac homini voluntatem concesserunt; item *Aristotelici*, quando *Affectus locarunt in appetitu sensitivo* bestiis cum homine communi. Nos appetitum hunc sensitivum jam sæpius relegavimus, novimusque bestias cum intellectu tum voluntate carere, adeoque in bestiis, cum umbrâ tantum rationis gaudeant, etiam non nisi umbram quandam affectuum animadverti, impressiones nimirum in cerebro & inde fluentium motuum sanguinis, spirituumque animalium, qui meri sunt motûs corporis quos jam supra ab affectibus separavimus.

30. Sicut autem in quolibet motu respiciendus est terminus ad quem; ita & in motibus affectuum considerandum est, quod *voluntas semper nitatur à re odiosa & quam intellectus putat esse malam, ad rem gratam, & quæ intellectui videtur esse bona*, & hoc quidem persequatur, illud aversetur, *sive, à re gratâ possessâ ad ingratam sese convertat*, ut id quod timet, amoliatur. Ita Aristoteles, Epicurus, Stoici, docuerunt, & ni fallor omnes Philosophi *solo excepto Cartesio*, q) qui nullam aliam ob causam ab hac opinione discessit, quàm ut *admirationem affectibus annumerare posset*, quia bene perspexit in ea nullum respectum haberi, num aliquid bonum sit, an malum. Sed quoniam admirationem iam è clas-

q) vid. cap. 2. 31. 38.

è classe affectuum exterminavimus, idque ex infra dicendis de affectuum speciebus rectius patebit; pedem jam figemus.

31. Notanter dixi, quod voluntas se convertat *ab odiosis & his, quæ intellectus mala esse cognovit*, ad ea *quæ sibi grata sunt*, quæque *bona intellectui videntur*, &c. Nam etsi reliqui Philosophi vulgo dicunt, voluntatem semper à *malo ad bonum*, vel à *bono ad malum* moveri; tamen cum voluntas sæpe à bono apparenti ad malum apparens, itemque à malo apparenti ad bonum apparens se convertat, & vice versâ; phrasin nostram speramus esse commodiorem ad rei veritatem exprimendam.

32. Quo simul renunciamus phrasi vulgatæ sed erroneæ, cum aiunt voluntatem semper *ab his quæ bona ipsi visa sunt, se convertere*, quo culpam, quod malum apparens pro verè malo, & bonum apparens pro vero bono arripiatur, intellectui semper obtrudere conantur. Etsi enim fateamur intellectum semel à voluntate corruptum voluntatem deinceps quoque posse impellere ac fortius depravare; Supra tamen demonstravimus, r) quod intellectus primordialiter à voluntate corrumpatur, quodque voluntas æque suis laboret præiudiciis, quàm intellectus.

33. Facile ergo hinc intelligitur, *bonum & malum* hîc in tam latâ significatione sumi, ut *omnes boni species* in priori parte s) recensitæ,

r) cap. 1, n. 25. sq. s) vid. Introd. in Philos. Moral. cap. 1.

earumque *etiam imperfectiores* sub his comprehendantur.

34. Porro ex dictis hactenus simul patet, quod voluntas semper à re mala & odiosâ quam patitur, ad rem gratam, *quam nondum possidet*, sese convertat, vel a re gratâ, quâ fruitur, se convertat ad rem odiosam *quam metuit*, ut eam à se avertat, ne in eam incidat. In quo veteres etiam Philosophi consentiunt. Inde autem sequitur affectus omnes dirigi ad futurum malum vel bonum, non vero ad præsens vel præteritum.

35. Id quod inde etiam cognosci potest, quod affectus sunt *motus*. Motus autem omnes *se convertunt ad id quod nondum habent*, quodque adeo futurum vel absens esse existimatur, licet præsentia eorumque perceptiones motum excitent atque causentur.

36. Hinc verò manifestum est *Dolorem* ac *Voluptatem* rectè quidem à Peripateticis dici comitari affectus, cum iisque esse coniuncta; t) sed ab horum nonnullis, u) item à Stoicis x) ac Epicuri asseclis y) *absque fundamento haberi pro certis affectuum speciebus*. Voluptas enim vel Gaudium, item Dolor ac Mœror nil aliud sunt nisi *fruitiones vel perceptiones boni vel mali præsentis*.

37. Taceo quod supra z) notavimus, *affectus* sedem suam habere *in voluntate ac corde* ho-

t) Cap. 2. §. 10. u) d. c. 2. n. 14. ab init. x) d. c. 2. n. 18. y) d. c. 2. n. 27. 28. z) h. cap. n. 12. sq.

hominis, cum dolor & voluptas sint perceptiones *in intellectu & cerebro contingentes*; Voluptas tanquam perceptio boni, dolor tanquam perceptio mali.

38. Etsi autem homo nonnunquam ex *præteritis* vel *futuris* dolorem vel voluptatem sentiat, tamen hic discrimen hoc est observandum. *Præterita* concipimus vel *tanquam præsentia*, quæ si bona fuerunt, verum gaudium; sin mala, verum dolorem sentimus; vel *tanquam præterita*, ubi cogitatio mali præteriti simulque boni præsentis ex eius cessatione exorti gaudium, cogitatio vero boni præteriti, ex eiusque cessatione secuti mali præsentis, tristitiam excitat; Vel præterita nobis proponimus *tanquam deinceps futura* seu rursus expectanda, ac tum demum nascuntur affectus ad hæc futura inclinantes, vel ab his declinantes, pro differentia nimirum circumstantiarum, Spes, Metus, Desiderium, Desperatio, &c.

39. Neque ita dispar ratio est *Futurorum*. Hæc quatenus considerantur *tanquam futura*, tum eâ consideratione dicti affectûs moventur; Sin concipimus *tanquam præsentia*, tum anima in iisdem quasi quiescit, gaudetque vel contristatur.

40. Obiicis: *In Desperatione* tamen dari exemplum affectûs *non contendentis ad futura*, cum in desperatione sæpe mihi proponam bonum præteritum atque amissum, nunquam recuperandum; Sed facilis est responsio. Erras. *Desperatio*

tio semper est desiderium mali amolicndi, quatenus istud tanquam futurum consideratur; & licet ea in dicto casu consideratione amissi boni excitetur, defectus tamen istius boni malum quoddam creat, & quia malum hoc tanquam perpetuo durabile contemplamur, ex eâ contemplatione nascitur desperatio.

41. Sed hîc observabis, quod h. l. per *bonum & malum futurum, Durationem* etiam ac *continuationem præsentis sive Augmentum*, etsi id non nisi post momentum futurum, ac valde adeo propinquum est, intelligam, quod vulgò ob exiguum gradum absentiæ & futuri habetur pro præsenti.

42. E. g. *Quando maleficus in torturâ exquisitissimos sentit cruciatûs*, dolor hic creat metum durationis futuræ longioris, sensûsque acrioris, is metus homini parit angorem & confessionem flagitiorum extorquet: Ita *delectatio super præsentia fœminæ dilectæ* gignit desiderium continuandæ hujus conversationis, pluriumque amoris signorum obtinendorum. Ac falso sibi hic vulgo imaginantur hos affectus Dolorem esse ac Gaudium, & ad præsens bonum vel malum inclinare, cum per idipsum, & per dolorem ac gaudium, metus & desiderium solummodo excitentur.

43. Age vero *originem* omnium affectuum ulterius persequamur. Affectus omnes quatenus eorum motûs sentiuntur, nascuntur *è forti quadam impressione seu motu rerum externarum in cor re-*

redundante, & exinde subsecuto motu extraordinario spirituum animalium in massa sanguinis.

44. Omnes passiones animæ dependent *à sensibus*. Et sicut Philosophi vulgò dicunt, nihil esse in intellectu, quod non prius sit in sensibus; ita rectè etiam dicere possumus; *Nihil esse in Voluntate, nisi quod prius sit in sensibus*; Sive enim amorem rationalem, sive irrationalem respiciamus, certè rationalis in sensûs originaliter resolvetur, quia existimationem quandam præsupponit. Irrationalis, cum nascatur è præjudiciis Impatientiæ ac Imitationis, sensibus itidem non potest carere, quandoquidem suprà a) ostendimus, utrumque præjudicium è sensibus derivari; Præterea in hoc capite b) perspicuè jam demonstravimus, omnes animi motûs motibus corporis originem suam debere.

45. Repetendum autem hîc est, quod in Introductione Logicâ c) diximus: *Ad sensus* etiam requiri perceptionem cogitationum nostrarum; Cui è doctrina huius capitis addenda est *ipsa* etiam *perceptio affectuum*. Nam etsi opponas appetitum meditandi in melancholicis à sensionibus corporis non excitari, respondebimus tamen, voluptatem è sensibili meditandi perceptione coortam etiam ad sensus pertinere. Adde, quod appetitus iste per præviam lectionem excitatur.

46. Per *externa* hic itidem intelliges ea quæ

a) C. 1. n. 42. 47. b) h. c. n. 4. c) c. 3. n. 32.

sunt *extra cor hominis*, quemadmodum in Logica, quantum ad sensus intellectum afficientes, ea omnia vocavimus externa, quæ sunt extra cerebrum, d) ita ut hic etiam rebus externis annumeranda sint ea, quæ alias sunt partes internæ corporis humani, ne forte nobis Fames, Sitis, & Appetitus è copia seminis prognatus obiiciatur.

47. Fortasse etiam Aristotelici *Famem*, *Sitim*, ac *Sensum venereum sensibus non annumerarunt*, ne affectus cum sensibus confunderent; Sine dubio enim has tres species locarunt in classibus appetitûs, vel voluptatuum, atque dolorum, quæ singula secundum eorum hypothesin sunt affectus. Sed hæc obiter.

48. Itaque *cerebrum* etiam intuitu voluntatis refero *inter res externas*, sicut cordi respectu intellectûs in externis rebus locum dedi. Sicut enim affirmatio vel negatio, quando e. c. aliquid cor vel delectat vel excruciat, in cerebro peragitur; ita cum in cerebro aliquid vel affirmatur, vel negatur, appetitus seu desiderium, breviter Impulsus rei acquirendæ vel declinandæ in corde efformatur.

49. Dixi præterea, *Impressionem in cor validam* esse oportere, si inde fieri debeat affectus. Per *fortem* hanc *impressionem* non semper quidem talem impressionem intellectam volo, quæ forti impressione simul protenditur in cerebrum,

d) c. 3. n. 27.

brum, ut cum tonitru vel fulgure terremur; sed talem etiam, quam magis in corde, vel *solo in corde sentimus*, etsi in cerebro sive in intellectu inde non fiat aliqua concussio; Si v. g. *certum genus hominum intolerabili angore ac sudore corripitur fele in conclavi occultata, quam nec vident, nec audiunt, nec olfaciunt.* Simul etiam inde intelligimus, quod *cor longe subtiliori sensu gaudeat, quam cerebrum*, quodque adeo unusquisque in seipso deprehendere debeat quænam sit fortis in cor impressio, nempe quâ ad rem aliquam pertrahimur. Nam si nil horum contingit, voluntas est quieta, indifferens, & ab affectu nullo concitata.

50. Novi equidem Medicos complures magna contentione laborare ut demonstrent, *cor nil aliud esse nisi Musculum*, neque hoc etiam contra eos impugnabo, multo minus defendam, quod inde concludunt, ideo animam, quatenus cogitat, sedem non posse habere in corde. Sed non video etiam, quod hoc assertum doctrinæ nostræ adversetur. Nam etsi quàm maxime cor est musculus, sufficit tamen *ibi contineri centrum in quo peragitur perpetuus sangvinis fluxus ac refluxus*, & per affectus sangvinem in corde rapidiorem vel tardiorem motum obtinere.

51. Itaque *passio intellectus* à *passionibus Voluntatis* ita quoque distingvitur, quod *Intellectus per spiritûs animales in nervis, voluntas verò per spiritûs vitales in sangvine impellitur, certe ita in homine sentitur.*

52. Hinc cum affectus *per cogitationes* demum *in motum agitur, nervi*, qui sunt in cerebro *cor vellicant*. Cum vero *affectus cogitationes præcedit, cor nervos vellicat sibi contiguos*. Et quoniam supra ostendimus quod primordialiter voluntas intellectum impellat, ibi quoque notavimus, quod impulsu cordis facto, sangvis in motum agatur, & nervorum, tanquam ad essentiam affectuum non pertinentium, nullam mentionem fecimus.

53. Cum vero compertum habeamus, res alias cor quorumcunque hominum simili, alias verò dissimili ratione, movere, sciendum est, *fortem illam Impressionem dependere vel è natura & habitudine rerum ad corpora humana*, vel *è qualitate quæ cum anima saltem, vel cum hominum consuetudine* congruit, vel eidem repugnat. Quarum illam naturalem, hanc distinctionis causa voluntariam nuncupabimus.

54. *Impressiones naturales* nascuntur vel *è primo motu externorum corporum*, vel e *nimis sensibili variatione rerum sensibilium*.

55. E *nimio motu* oriuntur Affectus, qui e. c. *conspectum* fulguris, *auditum* tonitruum, *odoratum* rerum acrium destillatarum, *gustum* acrium ac penetrantium, *tactum* urentium rerum ac voluptatis venereæ consequuntur.

56. Per *nimis sensibilem variationem rerum sensibilium* cor vellicatur, cum v. g. locus *nimis tenebrosus* cum loco nimis illuminato, vel vice versâ permutatur, cum sonum Musicum *audi-*

mus

mus, ſuavem vel foetidum *odorem* inconſuetum olfacimus, in *guſtu* cibi ac potus, vel in *tactu* caloris & frigoris nimis ſenſibiliter variamus.

57. Duo hæc Impreſſionum genera ita *diſcernuntur*: In omni motu fortiori eſt etiam ſenſibilis variatio rerum ſenſibilium, non autem in omni ſenſibili variatione rerum ſenſibilium ſemper datur fortis aliquis motus.

58. Deinde etiam *diſtinguuntur ratione effectus*. Nimius motus *in omnibus hominibus* excitat paſſiones animi, quia impreſſio in omnibus fortis eſt, & *ſimiles* quidem ſeu *uniſomes* paſſiones gignit, quia ſenſiones in quibuscunque hominibus eodem modo afficiuntur, etſi paſſiones animi in omnibus non ſint in eodem gradu, nec eandem habeant durationem id quod in exemplo fulguris dilucide apparet. Sed ſenſibilis variatio rerum ſenſibilium *non* parit *in omnibus* fortem quandam impreſſionem, ſed pro diverſitate temperamentorum atque conſuetudinis variat, adeoque *non excitat in omnibus paſſiones animi*, & licet omnino quasdem excitet, eæ tamen *non* ſunt *uniusmodi*, cum pro diverſitate temperamentorū, vel conſuetudinum, ſenſus quoq; cordis variet. Ita e. c. concentus Muſicus in aliis faſtidiū, in aliis delectationem, adeoque in utrisque diverſum deſiderium parere poteſt. Ita ſonus Muſicus in eo qui eidem jam aſſuetus eſt, talem impreſſio-

sionem non efficiet, qualem parit in eo, qui primum eum audit. &c.

59. *Voluntariæ impressiones* sunt, quarum fortis impressio non è natura rerum impressarum, sed è natura distinctarum qualitatum cordis humani, vel ex imaginatione certæ cujusdam significationis ab aliis hominibus proficiscentis, dependet. E. g. cum homo *ludis deditus* latrunculum, *voluptuosus* scyphum vini ve cibum delicatum eminus saltem conspicit, *pudicus* vel *venereus* verbum obscœnum, *ambitiosus* vel *iracundus* convitium, *avarus* clangorem thaleri audit, vel eminus saltem eius splendorem conspicit; *Soli* enim *assuefactioni* effectus hujusmodi rerum semper tribui non potest, cum & in pueris tenerrimis observemus alios ad vinum, alios ad nummos, alios ad laudem &c. propendere.

60. Adeoque *voluntariæ impressiones â naturalibus* eo *non discrepant*, quod naturales in omnibus hominibus, voluntariæ autem in quibusdam saltem affectus gignant. Postremum enim hoc voluntariæ cum naturalibus ex sensibili rerum sensibilium variatione oriundis, ut dictum, commune habent.

61. Videtur quidem inter duo hæc impressionū genera palpabilis differentia constitui posse, si hæ *impressiones* dicerentur *naturales*, quarum exempla notari queant in bestiis, *voluntariæ* vero quarum nulla deprehenderentur in brutis exempla. Sed re accuratius pensitata facile animad-

animadvertemus, hanc differentiam non esse universalem, sed suas habere exceptiones. Ostende cani eminus saltem carnem assatam, vel cibum alium consuetum, & statim deprehendes in eo motum aliquem affectibus haud dissimilem, Possunt & bestiarum quædam laude & blandimentis mulceri atque mitigari, contra homini nil tam naturale est, quam ut amor eius rationalis per animum virtuti deditum excitetur, cujus tamen rei exemplum nullum reperitur in bestiis.

62. Porro cum supra dixi è forti rerum externarum in cor impressione *motum sangvinis extraordinarium* sequi, id in quibuscunque affectibus animadvertitur, imo eundem etiam motum deprehendimus in exemplo affectuum in bestiis.

63. Is sanguinis motus, etsi interdum à forti impressione in cerebro peractâ videatur proficisci; v. g. si quis à fulgure terretur; Imo licet Cartesius motus sangvinis quoscunque extraordinarios spiritibus per nervos dispersis atque impulsis tribuat; iterum tamen Perceptiones intellectus & motus spirituum in nervis ab inclinationibus voluntatis & motibus sangvinis bene separandæ sunt. Non est dubium, quin e.c. fulgur impressione suâ in cerebrum mox etiam eadem impressione è cerebro in reliquos corporis, imo & cordis nervos progrediatur, ac communem quandam membrorum trepidationem & palpitationem cordis

dis excitare queat, id *quod Terror vocatur.* Sed uti terror iste nil aliud est nisi concussio quædam corporis quæ homini cum bestiis est communis; ita perceptio ejus in intellectu animæ est, non in voluntate. Imo *Terror æque non est passio animi*, quam Voluptas vel Dolor, quia æquè non spectat futura atque absentia, quam voluptas & dolor: etsi affectum excitare soleat, v. g. Timorem, vel Iram. &c. *Timori* enim cum *Terrore* nil esse commune inde colligi potest, quod homo maxime animosus terrorem declinare nequit, qui timori tamen imperare didicit, & in quo loco timoris terror iram provocat.

64. Videmus inde quod fortis impressio in cerebrum è cerebro in reliqua membra, nervos quoque cordis derivata, in homine tam animoso quam pavido eandem pariat sangvinis concussionem, sed non idem affectus, sed duo maxime contrariæ animi passiones inde consequantur. Ergo *fortis impressio in cerebrum, vel motus spirituum in nervis non possunt esse causa affectum.*

65. Et licet hæc *cum affectibus interdum conjuncta* sint, id tamen non in quibuscunque affectibus contingit; adeoque si modum & rationem motus sangvinis nobis imaginare volumus, ejus generis exempla quærenda sunt, *ubi nulla, certe non fortis impressio peragitur.* V. g. Si felis homini angorem imprimit, qui eam nec auribus, nec odoratu percipit; Item si quis ho-

homogenei temperamenti, alter quoque heterogenei mecum sunt in conclavi, & utroque à me conspecto, ad intuitum alterius amor, ad intuitum vero alterius odium apud me sequitur.

66. Ac si obtendas, exemplum felis esse *extraordinarium*, & à regula declinare, in posteriori autem exemplo amorem & odium *per oculum* & *consequenter per nervos* intromitti atque excitari; facilis tamen esset responsio, has regulas in naturalibus non esse magni momenti, & licet amor ac odium in posteriori exemplo per oculos in cor intromittantur, ideo tamen non intromitti per nervos. Habent enim oculi etiam nervos quorum meatus ad cor protenditur, & sicut species objecti ex oculis in nervos cadit, ita id quod in objecto nobis est conforme, (sive id sit aliquid spirituale, sive corporeum) etiam per oculos potest cadere in venas, etsi modum immissionis accuratius intelligere nequeamus. Etsi is non sit adeo incomprehensibilis, modo prius factum sit verum accuratumque discrimen inter corporea & incorporea; De quo alibi plura.

67. Denique dum *Motus extraordinarii* mentionem feci, extraordinarium vero semper ordinario opponitur, jam vero ordinarius sanguinis motus respectu totius generis humani non in puncto quasi accuratissime definiri potest; is animi motus pro affectu sine dubio habendus est, qui consequitur hujusmodi sangvi-

nis

nis motum, *quem quisque tanquam extraordinarium quid in se deprehendit.*

68. Cautela tamen est adhibenda, ne monitum hoc convertas, ac prætendas, *motum sanguinis quem homo non sentit esse aliquid extraordinarium, etiam non habendum esse pro affectu*; Nam homines qui affectibus suis maxime indulgent affectum suum dominantem, ob continuam consuetudinem non putant esse affectum, quia ejus motus consuetudine in ordinarium quid quasi conversus est. Nobis autem sufficit, tam illos ipsos, quam alios, modo iustam diligentiam adhibeant, facile intelligere posse, motum suum quo corripiuntur, cum ordinario motu naturæ humanæ non consentire, quia nimis sensibiliter à motu tranquillo elongati sunt.

69. Est autem is motus exttaordinarius quasi *duplex*, quorum alter ab Epicureis e) non inepte cum *Dilatatione*, alter vero cum *Compressione* comparatur. Cæterum uterque in distinctas classes subdividitur, cum e. c. alia extensio deprehendatur in simplici appetitu, alia vero in Aviditate. Etsi dictæ comparationes omnes saltem ut rei imagines, non ut res ipsæ intuendæ sint. Affectus enim, sicut omnes passiones, distinctius sentiuntur quam definiuntur.

70. Colligemus tamen jam definitionem affectu-

e] c. 2. n. 24.

ctuum, prout ab unoquoque in seipso sentiri possunt, ex toto capite per quandam quasi ἀναπεφαλαίωσιν. *Affectus sunt motus* g) *voluntatis humanæ* h) *ad res gratas vel odiosas* i) *easque absentes vel futuras*, l) *coorti ex fortibus impressionibus* m) *rerum externarum* n) *in cor hominis*, o) *& inde consecuto extraordinario* p) *sanguinis* q) *motu.*

f) n. 3. seq. g) n. 12. seqq. h) n. 30. seq. i) n. 35. seq. l) n. 54. seq. m) n. 47. seq. n) n. 50. seq. o) n. 68. seq. p) n. 63. seq.

CAPUT IV.

QVOTUPLICES SINT AFFECTUS, ET QVINAM SINT AFFECTVS PRIMARII.

SUMMARIUM.

Connexio n. 1. 2. Unicus tantum est affectus primarius, n. 3. nimirum Desiderium, n. 4. quod minus commodè dividitur in cupiditatem & fugam s. aversionem, n. 5. 6. rectius in Amorem & Odium n. 7. Inter quos affectus principalis semper est amor. n. 8. 9. 10. Responsio ad principales affectus Epicuri, n. 12. Stoicorum, n. 13. Thomæ de Aquino, n. 14. & Cartesii. n. 15. Quid sit Admiratio? n. 16. —— 22. Cartesiana definitio Admirationis parum prodest, n. 23. 24. 25. Cartesius Admirationem cum Consternatione confundit. n. 26. 27. Admiratio non est inclinatio animi. n. 28. 29. Non est prima animæ passio n. 30. Cartesius Indifferentiam intellectus confundit cum Indifferentia Voluntatis. n. 31. 32. 33. Non est universale, Admirationem & Existimationem vel Contemptum

esse coniuncta n. 34. 35. Existimatio vel Contemptus non oriuntur ex admiratione magnitudinis vel exilitatis cujusdam rei, n. 36. sed ex eiusmodi re, unde vel honorem speramus, vel ignominiam metuimus. n. 37. Existimatio cum Amore, item Existimatio cum Desiderio, & Contemptus cum Audacia non confundantur. n. 38. 39. Cartesius plures errores commisit in constituendis differentiis inter Magnanimitatem & Humilitatem, inter Superbiam & Abjectionem, n. 40. 41. Item inter Venerationem & Despectum, & inter virtutes præcedentes ex admiratione genitas, n. 42 Item in Definitione Venerationis n. 43. Homines Admirationem magis amant quam scientiam, n. 44. Et Ignorantiam magis quam Sapientiam, n. 45. quia universi hærent in vitiis. n. 46. Cur Voluptuosi, n. 47. Ambitiosi, n. 48. & Avari admirationem ac ignorantiam ament? n. 49. Adolescentes sectantur admirationem, quia voluptatem parit. n. 50. Docentes patrocinantur admirationi, quia honores inde expectant & quia ad quæstum idonea est. n. 51.

1.

JUsta affectuum definitione superiori capite jam reperta, ac maxima adeo perplexitate, in quam Philosophorum hypotheses contrariæ nos deduxerant, feliciter superatâ, jam expedita erit affectuum *divisio*, nec multum laborabimus in tanta specierum nominumque diversitate, in exquirendis affectibus *primariis*, ex quibus reliqui omnes derivari, vel ad eos reduci possunt.

2. Enimvero si hic iterum diversæ Philosophorum hypotheses nobis respiciendæ essent, non

non minor fortasse labor nobis foret suscipiendus, quam in exquirendâ definitione, dum Cartesius *sex genera* affectuum a) Epicurus cum Gassendistis *tria* b) Stoici *quatuor* c) numerant, Peripatetici vero inter se non concordant, an *quatuor*, an *octo* vel *undecim* &c. & quosnam affectus primarios statuant. d) Sed quoniam jam in definitione affectuum certam normam invenimus, quæ etiam in divisione affectuum servanda est, eam solam sequemur, ex eaque etiam pugnantes Philosophorum sententias dijudicabimus.

3. Nescio cur nemo Philosophorum eò devenerit, ut *unicum saltem* affectum primarium, nec tres vel plures, quæsiverit; nisi forte diversitate tot affectuum contrariorum, qui non videbantur commode posse sub unum genus redigi, nec ex eodem fonte derivari, eò seducti fuerunt. Nihilominus periculum faciemus. Si ex eodem ore flatus tum calidus, tum frigidus proferri potest, quid prohibet ne ex eodem affectu contrarii sequantur effectus?

4. Quid si diceremus: *Desiderium* sive *Cupiditatem* esse unicum affectum principalem, ad quem reliqui affectus omnes referri queant? Valde quidem istud est paradoxum, nec adeo tamen mihi videtur impossibile, quin possit verificari. Nam & *generalem affectuum definitio-*

a) Vid. cap. 2. n. 36. seq. b) ibid. n. 27. seq. c) ibid. n. 18. d) ibid. n. 13. 14.

nem e) ad desiderium totam *applicare* possum, & *de quibuscunque affectibus prædicare possum* quod sint desiderium. Ac de quatuor quidem illis affectibus, quos superiori capite f) exempli loco aduximus, res demonstrata est. *Amor* est desiderium rei amatæ obtinendæ, vel ejus retinendæ. *Odium* est desiderium rei perosæ à se arcendæ vel amoliendæ. *Timor* est desiderium mali effugiendi. *Spes* est desiderium boni acquirendi. De reliquis sequenti capite occasione oblata idem demonstrabitur. His rationibus moti Desiderium in definitione amoris cum rationalis g) tum irrationalis h) tanquam conceptum genericum affectuum posuimus.

5. Itaque cum Desiderium sentiamus tam boni quam mali, illius quidem acquirendi, hujus vero amoliendi vel effugiendi, Philosophi etiam *duas Desiderii species* fecerunt, quarum *altera directa est versus bonum*, quam vocant *cupiditatem* seu concupiscentiam, *altera versus malum*, quam dicunt *fugam* sive *aversionem*. Difficulter autem duæ hæ species discernuntur. Supra enim i) bonum & malum ita divisimus, ut utrumque vel positive vel privative tale intelligatur, & ut *bonum* non solum in *acquisitione* rei acceptæ, sed & in *privatione* rei malæ, *malum* itidem non tantum in *obtentione* rei odiosæ, sed & in *privatione* rei gratæ consistat. Ergo

e) Cap. præced. n. ult. f) n. 2. g) part. 1. c. 4. n. 7. h) supra cap. 1. n. 38. i) part. 1. c. 1. n. 122.

go multum nobis laudandum erit, si dijudicare velimus, an desiderium boni obtinendi & mali amittendi ad cupiditatem, an vero ad fugam referri debeat. Subtilissima item opus foret investigatione, quomodo v. g. *Desiderium boni acquirendi* & *fuga seu metus ejusdem amittendi* differant.

6. Quare cum duæ hæ appellationes non sine insigni subtilitate intelligi queant, nec aliquam præterea præstent utilitatem, *Fuga* quoque cupiditati oppositа apud Germanos nostros longe aliud quam affectum aliquem connotet, hanc desiderii divisionem prætermittemus, ideoque paullo supra *Desiderium* & *Cupiditatem* tanquam synonyma posuimus.

7. Ergo eorum loco *Amorem* & *Odium* malumus substituere, quod uterque hic affectus per gratum & odiosum, sive per bonum & malum clarissimè discernantur, ac quod *Amor sit desiderium boni non modo acquirendi, verum etiam retinendi nec amittendi*, similiter *Odium sit Desiderium mali non solum amoliendi, vel non retinendi, sed & ab eodem abstinendi.*

8. Ita haberemus duo summa genera seu fontes reliquorum affectuum omnium, Amorem videlicet & Odium, etsi eorum quoque *Amor* sit *maxime principalis*, ut fere affirmare possimus: *Amorem esse affectum unicum*, item *amorem* ac *desiderium* esse unum idemque.

9. *In odio* enim semper fit conversio ab odioso ad id quod gratum est & amabile, & semper

amamus amabilia. *In amore* semper quidem nos ad amabilia convertimus, sed non semper nos avertimus ab odiosis, sed ex pluribus amabilibus ab uno transimus ad aliud, vel à re grata præsenti nos convertimus ad futuram. Adeoque *ubi datur Odium, ibi etiam datur Amor*, sed *non contra, ubi est Amor, ibi etiam est Odium.*

10. Imo licet Desiderium semper *à malo* ad bonum se converteret (à bono enim *ad malum nunquam* se convertit, nisi quando id oppugnat l) adeoque cum homine fugiente & in fuga pugnante commode comparari potest) & hac ratione Amor & Odium semper essent conjuncta, Desiderium tamen rectius vocaretur *Amor* à re amabili ad quam se convertit quam *Odium* à re odiosa, quam fugit. Motus enim denominari malunt *à termino ad quem*, quàm *à termino à quo*, e. g. Via Lipsiensis, via Hallensis.

11. Deinde *Homo ad amorem, non ad odium creatus est*, adeoque intima ejus natura in ejus voluntate, ea vero tota in amore consistit. Nam *omne quod homo vult, id desiderat, id amat.* Hinc fortè etiam suo tempore Augustinus *Amorem per omnes affectus quæsivit*, m) & objectio Autoris Galli n) contra hanc Augustini sententiam, quod duo ex diametro opposita, amor videlicet & odium in una classe collocari nequeant, ex jam allatis expedite refutari potest.

12. Jam si inter sententias Philosophorum pri-

1) Cap. præced. n. 39. m) de Civ. Dei XIV, 7. n) de la Mothe le Vayer Tom. 6. p. 224.

primo loco ponamus *Epicurum*, qui Gaudium, Dolorem ac Desiderium tanquam tres affectus primarios recensuit, o) caput præcedens primo intuitu ostendit, cur *Gaudium* & *Dolorem* omiserimus, quia nimirum ibidem demonstravimus, p) utrumque plane non esse affectus propriè dictos, relinquitur ergo solum *Desiderium*.

13. De quatuor Stoicorum affectibus q) *Lætitia* & *Ægritudo* eandem ob causam exauctorantur. De reliquis duobus, *Cupiditate* & *Metu*, remanet cupiditas, quia Metus etiam est cupiditas mali amoliendi.

14. Sex affectus qui secundum opinionem Thomæ Aquinatis in appetitu concupiscibili sedem habent r) etiam non egent prolixa notatione, dum ab his quoque *Gaudium* ac *Tristitia* subtrahuntur, *Cupiditas* vero *boni*, & *Fuga mali* sub Desiderio ab ipso Thoma continentur, & à nobis jam refutatum est. s) Denique *Amor* & *Odium* per modo dicta a desiderio commode separari non possunt.

15. Ita vero inter sex affectus Cartesii (*Admirationem*, *Amorem*, *Odium*, *Cupiditatem*, *Gaudium*, *Tristitiam*) ad 2. 3. 4. 5. & 6. responsum est. De *Admiratione* jam cap. anteced. t) monuimus; Nunc reliquos errores à Cartesio hîc commissos, ut promisimus, breviter indicabimus. Id

o) Cap. præced. n. 27. p) c præced. n. 37. seq. q) ibid. n. 18. r) ibid. n. 14. s) n. 56. t) n. 25. 30.

vero melius præstari non poterit, quam si breves sed veras theses de Admiratione præmittamus.

16. *Admiratio est filia Ignorantiæ, quæ homines impulit ad veritatem inquirendam*, id quod loquitur vulgata cantilena: Propter admirari cœperunt homines philosophari.

17. Hinc *etiam cessat admiratio, quamprimum rem* quam antea ob ignorantiam nostram admirati sumus, intelligimus, e. g. quando mysteria artium histrionis nobis revelata sunt.

18. Nec omnis tamen ignorantia parit admirationem, imo *sæpe admiramur res futiles & faciles*, difficiles & admiratione dignas non æque admiramur; E. c. Quis non miratur inane artificium præstigiatoris, qui ova facit in sacco? Quotusquisque autem miratur generationem atque effectum ignis, conceptionem & formationem embryonis in utero? &c.

19. Hujus diversitatis ratio est, quod res alias *raro* cernimus, aliæ vero nobis *perpetuo* objectæ sunt. Quod enim semper nobis obversatur, id non miramur, licet id non intelligamus.

20. *Duo* igitur ad Admirationem requiruntur, 1. *Ignorantia*, 2. *Raritas*. Adeoque *Admiratio* nihil aliud est *quam Ignorantia causæ rei rarò contingentis*.

21. Ac quatuor quidem homines solent admirari 1) Rei *magnitudinem*, 2) *Exilitatem*, vel 3) *inopinatam* rerum faciem, & 4) rei *Effectum*, v. g.

v. g. Gigantem, Pumilionem, Monstrum, Funambulum.

22. Ignorantia non est affectus, ergo *nec Admiratio.*

23. Cartesius ait, u) *Quamprimum nobis occurrit aliquod insolitum objectum & quod novum esse judicamus, aut valde differens ab eo quod antea noveramus, vel supponebamus esse debere, id efficit ut illud admiremur & eo percellamur.* Hic vix invenio quod reprehendam, nisi quod hanc *rudem* saltem *descriptionem* Admirationis, non vero *justam definitionem* esse censeo, quia ad omnem admirationem applicari nequit, aliisque animæ pasionibus, quæ non sunt admiratio, communis est.

24. Etsi præstigiatorem aliquem sæpe ludentem vidimus, tamen tamdiu durat admiratio, quoad artificium ignoramus, licet ars præstigiatrix *non* sit *aliquid insolitum*, neque eam amplius *pro nova* habeamus, sed ante nobis significatum sit, præstigiatorem hujusmodi lusus velle exercere. Aliud quoque exemplum est in promptu: Etsi aliquoties magnetem vidimus ferrum attrahere, durat tamen admiratio.

25. Rursus, si quis inopinato in me irruit, & terrorem mihi incutit, hac re afficior, quia id mihi videtur insolitum, & aliud quam quod fore putabam, *neque* hic tamen datur *admiratio sed consternatio.*

u) Cartes. part. 2. de pass. anim. art. 53.

26. Utramque ergo confundit Carteſius, quarum ingens tamen eſt diſcrimen. *Illa* eſt in *Intellectu*, nec eſt affectus, hæc eſt affectus, eſtque *in voluntate*.

27. Ea confuſio inde orta eſt, quia Carteſius ſolam *Raritatem*, *exclusa Ignorantiâ* x) definitioni admirationis inſeruit, & hâc ratione magis invitatus fuit, ut paſſiones intellectus & Voluntatis confunderet.

28. Pergit Carteſius: y) *Et quia hoc contingere poteſt antequam ullo modo cognoſcamus, num illud objectum ſit nobis conveniens nec ne, Admiratio mihi videtur eſſe prima omnium Paſſionum. Nec habet contrarium, quia ſi objectum quod ſeſe offert, nihil in ſe habeat inſoliti, eo nullo modo commovemur, & illud absque Paſſione conſideramus.*

29. Per ſuperiori capite z) demonſtrata cum veniâ Carteſianorum argumentum Carteſii penitus inverto. Hanc ipſam ob cauſam, quia rem aliquam admiramur absque reſpectu, bonane an mala ſit, Admiratio eſt quidem *paſſio intellectûs*, paſſiones voluntatis & amorem interdum præcedens, *nunquam* vero *paſſio animi*.

30. Deinde etſi concedam Admirationem animæ mature in infantibus prominere, dum mox poſtquam in lucem editi ſunt, res creatas, maxime lucem quaſi admirabundi intuentur, inſtar ebriorum è primo ſomno excitatorum; ita vero *Admirationem* videri *primam eſſe paſſionem*

x) Vid. n. 20. hujus capitis. y) d. art. 53. z) n. 25. & 30.

nem si non animi, animæ tamen; demonstratum tamen est, si naturam hominis accuratius consideremus, *affectus* citius quam admirationem eminere, dum vel defectus alimenti, vel sensus mutati aëris, vel dolor è partu infantibus signum desiderii extorquet.

31. Falso etiam Cartesius statuit *Admirationem* (quatenus amorem rei cujusdam præcedit) *non habere motum oppositum, ac si ea res nobis non videatur insolita, nos eâ nequaquam moveri sed quietè eam contemplari.* Nam & hîc duplicem indifferentiam tanquam unam eandemque considerat.

32. *Indifferentia* partim est in *Intellectu*, & opponitur admirationi, partim in *voluntate*, & notat *defectum amoris.*

33. Potest autem aliquid *Intellectu indifferens* esse (quod non admiramur) *nec sine passione tamen* consideramus. Primum enim, si id voluntati esset indifferens, operæ pretium non duceremus istud contemplari, deinde in promtu sunt exempla hominis ebrioši, aleatoris, scortatoris, avari, ambitioši, quibus scyphus vini, latrunculus, prostibulum non formosum, numus aureus, vultus gratiosus sed ipsi non inconsuetus præbetur.

34. Sequens articulus a) apud Cartesium talis est: *Admirationi juncta est Existimatio vel Contemptus, prout vel magnitudinem vel parvitatem*

a) 54. d. part. 2.

tem obiecti admiramur: Eodemque modo possumus nosmet ipsos vel existimare vel contemnere; unde oriuntur Passiones, & consequenter Habitus Magnanimitatis aut Superbiæ, & Humilitatis vel Abiectionis. Quot lineæ, tot errores.

35. Primum enim non est universale, *admirationem cum contemptu vel existimatione esse conjunctam. Possum enim aliquid admirari, quod nec æstimo, nec contemno.* e. g. cum præstigiatorem è sacco ova video producere, illusionem vero eius artis nescio. Contra *possum aliquid æstimare vel contemnere, quod non admiror*, e. c. vinolentus & temperans scyphum vini, ambitiosus & virtuosus vultum benignum & blandimenta principis, avarus & liberalis nummum argenteum. &c.

36. Porro falsum est, quod ait *Existimationem & Contemptum inde oriri, prout magnitudinem vel exilitatem rei admiramur.* Istud enim (*prout*) hoc sibi vult, quasi *existimatio* ex admiratione *magnitudinis rei* alicujus, contemptus vero ex admiratione *exilitatis ejusdem* nascatur. Sed quid frequentatum magis est, quam ut horologium parvum pluris æstimemus, quam magnum, & longurionem contemptius tractemus quam homuncionem brevis staturæ.

37. Existimatio atque Contemptus rebus adeo diversis ac contrariis nititur, ut vix certa possit dari definitio, forte tamen à scopo non aberrabimus, si dicamus, quod *contemptus & existimatio* sint qualitates quæ generatim de hominibus, *quoad honoris cupidi considerantur.*

E quo

Ex quo *honorem* expectamus, id *magnifacimus*, & unde *dedecus* metuimus, id *contemnimus*.

38. Ita vero *aliquid possum magni æstimare quod non amo*. Ita magni æstimamus hostem, è cujus superatione gloria nobis videtur parari. Contra *possumus aliquid amare, quod non æstimamus*; Ita ambitiosus, cujus passio dominans voluptas est, amat meretricem.

39. Rursus non confundantur *Existimatio* & *Cupiditas*, item *contemptus* & *audacia*. In scortatore & aleatore ingens est cupiditas erga meretricem & aleam, sed abusive dicuntur meretricem & tesseras magni æstimare. Contra audaculus periculum susque deque habet, non enim habet pro periculo, sed hoc proprie non est contemptus. In verbis tamen faciles erimus, modo nos mutuo intelligamus.

40. Denique quæ Cartesius interspergit de *Magnanimitate* & *Superbia*, item de *Humilitate* & *Abjectione*, obscura sunt. Nam facile quidem percipio, quemadmodum Magnanimitas ab Humilitate, & Superbia ab Abjectione distingvi debeant, quod illa ex existimatione nostri, hæc vero è contemptu nostri procreetur. Sed non video quale discrimen Cartesius ponat inter *Existimationem* & *Superbiam*, item inter *Humilitatem* & *Abjectionem*, nisi velit, hoc esse Magnanimitatem & Humilitatem, si *secundum meritum* nosipsos vel æstimaremus vel contemneremus, Superbiam vero vel Abjectio

jectionem, si *præter meritum* nosipsos vel æstimaremus, vel contemneremus.

41. Hic aliqua mihi sunt corrigenda: Paucis me expediam: *Magnanimitas non est Existimatio sui*, sed firma expectatio & patiens perpessio eorum, quæ vulgo hominibus sunt odiosa. *Veram Humilitatem homo sibi relictus planè ignorat.* Si quid autem de *humilitate* scit, certe ea *magis, vel æque saltem consistit in aliorum existimatione, quam in contemptu sui.* Et *superbia itidem in contemptu aliorum magis consistit, quam in existimatione sui. Abjectus vocatur, qui aliquid agit sine pudore, unde ei dedecus emergit. Nemo seipsum magnificiat. Nemo se præter meritum contemnere possit.* &c.

42. Ex his annotatis liquido apparet clausulam meditationis Cartesianæ de Admiratione nil probare, quandoquidem innititur his, quæ à nobis hactenus sunt refutata. Ita vero ait: *Verum cum magnifacimus vel parvifacimus alia objecta, quæ consideramus ut liberas causas capaces bene vel male agendi, ab Existimatione procedit Veneratio, & à simplici parvi æstimatione Despectus.*

43. Non opus ergo esset plura hic annotare. Tamen insignem hunc errorem adhuc notabimus: Cartesius ita definit *venerationem, quod sit Admiratio hominis &c. qui idoneus sit multum vel nocere vel prodesse.* Quis autem Cartesio

b) art. 55. p. 2.

sio significavit, quod veneratio præbeatur homini *nequissimo* vel *parricidæ*? Cartesius hic *Venerationem* cum *Timore* palam confundit.

44 Ita vero speramus nos Cartesio eiusque defensoribus ex asse satisfaciisse, quoad admirationem cum eius filiabus, manetque inconvulsa hæc assertio: *Admiratio non est affectus.* Antequam vero ad alia transeamus, necessariam instituamus διάσκεψιν, *Quod homines fere admirationem magis ament quam Scientiam.* Quod aliquid, eiusve causam ignoramus, id vel magnificimus, vel amamus, eoque delectamur, vel id scire anxie desideramus, v. g. mulierem larvatam, artem præstigiatoriam &c. Cum vero scopum nostrum assecuti sumus, tum vel cessat Existimatio, vel delectatio abscedit, vel id fastidire incipimus, vel notabiliter saltem cupiditas minuitur.

45. Sequitur inde, *homines vulgo ignorantiam magis diligere quam sapientiam.* Admiratio enim cum ignorantia tam arcte copulata est, ut qui admirationem amat, amet & ignorantiam.

46. Quænam vero causa subest, cur homines desideriis in infinitum disidentes, in hoc stulto desiderio *conveniant, ut naturaliter admirationem magis diligant, quam scientiam*? Nulla alia, nisi quod homines naturâ suâ propendent ad vitia, *ignorantia vero tam arcte cum omnibus vitiis coniuncta est, quam vera sapientiæ cum virtute.*

47. Vo-

47. *Voluptuosi* ideo amant Admirationem & ignorantiam, quia res *pulcra*, *elegans & delectans* existimatur, si quid cernimus insoliti, & quia quotidiana naturâ fastidimus.

48. *Ambitiosi* sunt patroni ignorantiæ. Qui *si seipsos cognoscerent*, & *vanitatem gloriæ*, eam vel non ambirent, vel alios non tam stupidos existimarent, ut ipsos sine prægnanti ratione aliis præferrent. Imo hos oportet esse *insanos* qui *stultum ambitiosum venerantur*. Ita vero *multum ambitiosis interest* ne hi ex ignorantiâ sua emergant.

49. *Avari* patroni ignorantiæ sunt, cum veræ sapientiæ nullum, *rebus sub admirationem cadentibus amplum pretium persolvi soleat*. Quod si ex animis hominum eximeretur admiratio, *pessundaretur* etiam *avarorum quæstus*.

50. Non mirum ergo est *adolescentes atque literarum studiosos falsam sapientiam, ubi frequens datur admirandi locus, eiusque professores maioris æstimare quam veram sapientiam*, Juniores à voluptate fortius corripiuntur. Est autem voluptate plenum discere ea quæ nemo intelligit, multi verò admirantur, eaque per alia adhuc minus intelligibilia magisque adeo admiranda explicare.

51. Non mirum est *magnam partem Doctorum in suggestu, in scholis & Academiis ignorantiam admiratione dignam tueri eique patrocinari, veram autem sapientiam hostiliter persequi & oppugnare. Ambitio & Avaritia* omnium maxime Doctores infestat

festat. Si vero junioribus oculi rite aperirentur, hi Doctores suos præsentes non tantopere laudarent, eorum sputum lingerent, eorum dicta tanquam gemmas exoscularentur, nec ignorantiam tam care redimerent.

Cap. V.

QVOD OMNES RELIQVI AFFECTUS AD AMOREM ET ODIUM COMMODE REDUCI QVEANT.

SUMMARIUM.

Connexio n. 1. 2. An Affectus aliquis ad Amorem, an verò ad Odium referendus sit, è potissimo ejus desiderio judicari debet n. 3. Quibus ex fundamentis affectus distribui varieque denominari queant n. 4. 1. Ratione propinquitatis vel elongationis boni vel mali n. 5. 2. Ratione mediorum boni vel mali obtinendi, n. 6. 3. Ratione motus fortis vel debilis Voluptatis vel Doloris. n. 7. 4. Respectu, an immediate, an mediantibus aliis hominibus affectibus corripiamur n. 8. 5. Respectu durationis n. 9. Quod omnes hæ diversæ species ad Amorem & Odium pertineant n. 10. Amor & Odium considerantur vel respectu scopi hominum. n. 11. Unde quatuor bigæ affectuum nascuntur. 1. Φιλανθρωπία & Odium Vitiorum quæ fovent errantes. 2. Superbia seu Ambitio & Odium Modestiæ vel Turpitudinis 3 Amor Voluptatis & Odium Temperantiæ. 4. Φιλαργυρία & μισανθρωπία. n. 12. Vel respectu mediorum generalium, partim cum voluntas impellitur ad ea persequenda n. 13.

Huc refertur Spes, Confidentia, Audacia, Diffidentia, Metus, Desperatio n. 14. partim quatenus voluntas ad ea conservanda impellitur n. 15. Huc spectat Gaudium & Tristitia. n. 16. non ad scopum. n. 17. Deinde respectu mediorum specialium, seu pro qualitate bigarum quatuor generalium n. 18. Huc pertinent Mansuetudo & Magnanimitas, Misericordia, Vindictæ cupiditas, Ira, ἐπιχαιρεκακία, Invidia, Immisericotdia, Truculentia, Ignavia Æmulatio &c. n. 19. seq. Affectus ex amore & odio mixti, quorum præcipuus est Zelotypia, n. ult.

I.

SUperiori capite a) promisimus nos demonstraturos reliquos affectus omnes ad amorem & odium commode referri posse. Hic optandum esset, ut philosophi prius inter se convenirent, *quot sint affectus residui* ad amorem & odium reducendi, & *quomodo hi definiendi* sint. Sed hoc vix sperandum est, cum ægre reperiatur affectus aliquis quem non diversimode definiant, vel certe in varia significatione sumant. Conferantur saltem variæ species affectuum è mente Stoicorum b) earumque definitiones è Cicerone c) cum speciebus Carteſii d) addita quoque Scholasticorum de affectibus speculatione, e) item Senecæ f) & Lactantii g) dissensionibus circa definitionem iræ.

2. Pro-

a) cap. præced. n. 4. b) vide cap. 2. n. 19. seqq. c) IV. Tuscul. 6. d) supra cap. 2. n. 39. seq. e) conf. c. 2. n. 14. f) Lib. 1. de ira. g) de ira DEI.

2. Prolixum foret harum sententiarum omnium discrepantiam examinare; Nos *regulas quasdam* potius *proponemus*, ad quarum ductum hæc doctrina corrigi, ac diversæ significationes affectuum specialium perspicue determinari queant.

3. Ac primum quidem etsi supra h) notavimus, Amorem & Odium ferè *conjungi*, cum *nunquam reperiatur bonum*, quod non habeat malum oppositum, intellectus tamen eodem tempore non potest occupari in duobus oppositis, sed in definiendis affectibus *à potiori fieri debet denominatio*, & affectus ad id quod maxime in eo significatur, ad amorem nempe vel ad odium est reducendus. Ita v. g. *Avaritia* magis pertinet ad *amorem* pecuniæ, quam ad odidium paupertatis. Ita *Ira* magis consistit in odio offendentis, quam in amore vindictæ. &c.

4. Deinde sunt certi affectus, ut Spes, Metus, Audacia, Desperatio, quibus prima fronte *cum amore vel odio nil videtur esse commune*, quandoquidem denominationes suas acceperunt à diversimoda consideratione *boni* vel *mali*, *voluptatis* vel *doloris* (utpote quæ cum omnibus affectibus concurrunt) i) adeoque varie denominari ac dividi possunt. Horum quosdam recensebimus.

5. Primo *Bonum* ac *malum* aut *valde est elon-*

h) cap. præced. n. 8. seqq. i) *vid.* cap. 3. n. 30. seq. item n. 37. seq.

gatum & futurum, aut *valde propinquum*, sub quo etiam continuationem præsentis comprehendo. Hac regula nixus notabilem differentiam facere possum respectu *boni* inter *Diffidentiam*, *Spem*, *Confidentiam & Gaudium*; respectu *mali* verò inter *Confidentiam*, *Spem*, *Metum* & *Tristitiam*. *Diffidentia* & *Metus* sunt desideria boni absentis acquirendi, & mali propinqui amoliendi. *Spes* est desiderium boni & mali non admodum absentis nec nimis præsentis obtinendi vel fugiendi. *Confidentia* est desiderium boni propinqui acquirendi, & mali procul remoti effugiendi. *Gaudium* est desiderium boni præsentis conservandi; *Tristitia* desiderium mali præsentis amoliendi.

6. (2) *Media* quoque boni obtinendi & mali effugiendi differunt. Vel enim facile, vel difficulter bonum obtinetur, malum evitatur. Ita *Gaudium* creatur, cum nobis imaginamus, quod bonum *cito & facile* obtinebimus, malumque fugiemus. *Spes* vel *Confidentia*, si concipimus bonum *non admodum difficulter*, *nec ita tarde* obtinendum, & malum fugiendum: *Metus* vel *Diffidentia*, quando perpendimus bonum *ægre tardeque* acquirendum, malumque declinandum: *Tristitia* ac *Desperatio*, cum cogitamus bonum *nunquam* obtinendum, malum nunquam declinandum. Hinc patet quemadmodum affectus pro diversa consideratione diversas sortiti sint denominationes ac defini-

finitiones, & quo sensu. e.c. *Spes* modo *cruciatus*, *modo delectamentum* vocetur.

7. Suprà l) quidem notavimus, affectus omnes hominem extraordinario motu agitare. Horum tamen alius magis, alius minus est fortis ac repentinus. Unde 3) prout *Voluptas* vel Dolor hominem fortiter vel *subito* trahit, affectus etiam diversum nomen induit; Ita *Gaudium* & *Consternatio*, *Metus* & *Terror* differunt. *Consternatio* nil aliud est quam gaudium *forte* & *inopinatum* (vel spes fortis & inopinata) & *Terror* nil aliud est quam Metus (vel Dolor) *fortis* & *inopinatus* m)

8. Deinde (4) Voluptas vel Dolor nos partim tangit immediatè, partim *mediantibus aliis hominibus*, quos vel amamus, vel odio habemus Sic differunt *amor pecuniæ, honoris & voluptatis* ab *æmulatione ac invidia*. *Æmulatio* enim nil aliud est, nisi desiderium *boni*, quod *alter*, quem *non amamq*, *appetit*: Et Invidia est desiderium, ut *alter* quem *non amamus*, bono suo *privetur*. Sic aliud est *Ira*, aliud *Indignatio*, aliud *Misericordia*. *Ira* pendet ex offensione nostri; *Indignatio* ac *Misericordia* e dolore alterius, ac *Indignatio* quidem cum proposito mali adversus *offendentem* ulciscendi. *Misericordia* cum proposito *læsi* adjuvandi.

9. Porro affectuum *Duratio* (5) distinctas eorum parit appellationes. Aliud φιλαργυρία, aliud *Avaritia*, aliud *Luxus*, aliud *Libido*,

l) cap. 3. n. 68. seq. m) Conf. tamen dicta cap. 3. n. 64.

aliud φιλοτιμία, aliud *Ambitio*, *Elatio* & *Superbia*.

10. Etsi autem affectus enumerati omnes non videantur aliquid ex amore vel odio participare, facile *tamen omnes ad utrumvis reduci possunt*, sunt enim vel distinctæ *species*, vel distincti *gradus*, vel distinctæ *modificationes* amoris & odii. Quod ut facilius intelligatur, sciendum est *amorem* & *odium* diversimode considerari posse. Vel quatenus diriguntur ad *scopum* hominibus propositum, vel *ad media* ad scopum hunc obtinendum directa, quæ tum certâ ratione pro novis sed intermediis tamen finibus haberi possunt.

11. Si homines essent rationales, seu vere homines, *unicus* tantum deberet esse *scopus*, ad quem totum genus humanum actiones suas dirigeret, animi nempe *tranquillitas*, *per amorem rationalem quibuscunque hominibus ex æquo præstitum comparata*. Sed maxima pars hominum hanc tranquillitatem frustra quærit in *inquietudine*, *humanæ naturæ summe adversa*. Supra n) docuimus verum amorem e tribus consistere virtutibus; 1. Sollicitâ officiositate, 2. Confidenti Beneficentia, & 3. plenaria Communione facultatum actionumque omnium secundum rectam rationem institutarum. *Inquietudo*, quæ homines ejusdem naturæ impulit, ut in Inæqualitate quietem suam quære-

n) part. 1. c. 6.

rerent, vel tollit *Humanitatem*, & consequenter etiam *sollicitam officiositatem*, dum quis sibi videtur aliis hominibus *præstare*, vel ab aliis maior haberi cupit: Vel homines invitat ad *fucata beneficia*, dum *delectamentis sensibilibus* ac fortiter nos afficientibus aliorum favorem ambiunt, eosque ad se pertrahere conantur: vel *Communioni* bonorum, & fructui amoris rationalis quam maxime adversatur, homines-que impellit, ut loco φιλανθρωπίας delectationem suam in *pecunia*, & *pretio comparandis* quærant.

12. Ita vero *quaterni affectuum gemelli* enascuntur, ad *quatuor scopos generales* humani generis directi, seu potius *quatuor distincta genera amoris & odii*. 1. Rationalis φιλανθρωπία. & *odium errorum ac vitiorum*, (non vero errantium & vitiosorum;) 2. Amor gloriæ superbæ seu φιλοτιμία; & *Odium Modestiæ ac turpitudinis*. 3. Amor deliciarum sensibilium seu *voluptas*; & *odium laboriosæ Abstinentiæ*. 4. Amor nummorum & rerum creatarum infra hominem positarum, s. *Avaritia* & *odium paupertatis* ac communionis bonorum.

13. Affectus *cum Mediis* occupati partim generatim iisdem applicantur, & primum significant *distinctos gradus Impulsus*, quibus humana voluntas movetur, ut his mediis utatur. Is impulsus quoad vel in *accremento* versatur vel in *decremento*, affectus etiam diversa nomina sortiuntur. Primus gradus *accrementi* vo-

catur *Spes*; secundus *Confidentia*, tertius *Audacia*. Primus gradus *decrementi* appellatur *Diffidentia*, secundus *Metus*, tertius *Desperatio*.

14. Hi affectus, uti quatuor generibus amoris & odii serviunt; sic eatenus etiam pendent *ex amore ac odio*, quia *diversi gradus amoris & odii*, præcipue vero amoris, *diversos* etiam *gradus Metus & Spei* efficiunt. Non allegabo tritum versiculum: *Omnia conando docilis solertia vincit*, sed thesis hæc exemplis facile adstruitur. Quo impensius *amicos* nostros *amamus*, eò maior *spes* nobis accrescit, reciproci eorum amoris demerendi, eo maior nobis paratur *Confidentia*, qua officia nostra ipsis accepta fore speramus, & eo sumus *audaciores* ad ea quæ desiderant exequenda. Quod si amor iste *tepidus* est, vel plane extinctus, facile causa nobis offertur quamobrem amicis *diffidamus*, vel eos *metuamus*, eisque omnia quæ à nobis poscunt, sibi exhiberi, tergiversantes, variaque *dubia* fingentes denegemus. Qui *amore mulieris* fortiter captivati sunt, muros transcendunt, magnaque cum *Audacia* mortis periculum subeunt, ut libidinem suam expleant, imo desperata occipiunt facinora, quæ alii, qui minus amant è *metu* ac *desperatione* omitterent. *Ambitiosi*, quo plus habent ambitionis, eo maiori cum *spe* ac *confidentia* imo audacia utuntur mediis ad ambitionem suam explendam. Sed ἀφιλότιμοι hæc media negligunt ex *diffidentia*, *metu* ac *desperatione*.

Ava-

Avaritia homines impulit, ut vitam suam, quasi ipsis robur & æs triplex circa pectus esset, & fragilem truci committant pelago ratem. Qui vero *nummos non deamant*, pericula hæc omittunt, ac fugiunt, eaque *extimescunt*, vel à quæstu *desperabundi* abstinent, &c. Ex hoc fundamento decidi etiam poterit quæstio illa: An spes sit oblectatio, an dolor.

15. Alii affectus cum mediis *generatim* occupati denominantur ab *impulsu* voluntatis media acquisita *conservandi*, vel adversitatibus cortis quæ mediis adversantur, resistendi, suntque *Voluptas* & *Dolor*.

16. Et hi quoque palam dependent ex *amore* & *odio*. Quo major enim est *amor* alicujus rei, eo maior quoque est *Gaudium* ejus conservandæ, eò etiam maior *dolor* eius amittendæ. Pariter quo intensius aliquid *odi*, eo majori *gaudio* corripior eius rei amoliendæ, eoque majori *dolore* afficior eius retinendæ. Exempla hic iterum sunt in promptu ex singulis quatuor paribus amoris & odii.

17. Nec obstat quod supra o) *voluptatem & dolorem è classibus affectuum relegavimus*, iam vero eisdem annumeramus. *Voluptas* & *Dolor* quæ nil aliud sunt quam perceptio rerum præsentium, adeoque sedem *in intellectu* habent, non sunt affectus; Sed *desiderium* boni acquisiti conservandi, & mali præsentis amoliendi,

o) cap. 3. n. 37. seq.

omnino sunt affectus, & recte dici possunt *Voluptas* & *Dolor*: Nam *voluptas* nil aliud est nisi desiderium spe plenum; *Dolor* desiderium cum metu ac desperatione conjunctum. Deinde Voluptatem ac Dolorum, quæ *cum Mediis*, non cum fine occupantur, affectibus annumeraui. Fine enim jam obtento cessat voluptas ac dolor, eorumque loco nascitur vel *tranquillitas* animi, vel *fastidium* & incitamentū seu *sitis* ad novam inquietudinem, prout finis vel rationalis est, vel irrationalis.

18. Denique dantur etiam certi affectus, qui occupantur *circa media specialiter ad hunc vel illum finem è quatuor amoris generibus pertinentia*, licet & hæc æque ac distincta illa amoris genera sæpissime à recta ratione recedant. Possent etiam dicti affectus considerari tanquam *speciales modi* & *certi* quidam *characteres* quatuor generum amoris, ac illi quidem tanquam *affectus primarii*, hi vero tanquam affectus *secundarii*, cum non omnes æque ex eodem amoris genere proficiscantur, cum eoque conjuncti sint, & prout affectus hujusmodi secundarius in homine se fortiter exerit, etiam characteres præbeat, quisnam ex affectibus primariis in homine maxime regnet.

19. Hæc licet suo tempore clarius intelligentur, quando affectus irrationales singulos seorsim considerabimus, tamen iam *brevem* eorum *prægustum* ac delineationem dabimus.

20. *Vir-*

20. *Virtutes* omnes sunt *Affectus secundarii* ex *amore rationali* tanquam è fonte profluentes, inprimis autem huc referuntur: *Mansuetudo*, *Magnanimitas & Misericordia*, quippe quæ omnium minime à vitiosis per hypocrisin fingi possunt vel simulari, ita ut fucus iste à sapientibus animadverti nequeat.

21. *Mansuetudo* est odium futuræ vindictæ, è *patientia* amoris rationalis prognata. *Magnanimitas* ex eodem fonte manat, estque odium vindictæ præsentis, cum sufficiens occasio mihi offertur vindictæ erga hostes meos exercendæ (aliàs tamen magnanimitas, per superius p) notata, pro constanti Patientiâ in genere sumitur.) *Misericordia* est dolor ob calamitatem alterius, conjuncta cum desiderio, eoque intenso & effectivo malum ab altero propulsandi.

22. Ex *amore irrationali* fluunt affectus præcedentibus è diametro oppositi. Sicut enim amor irrationalis omni patientiâ caret, sed impatiens est, ita ex hâc Impatientia fluit *Ira*, seu desiderium vindictæ erga id, à quo nos putamus esse offensos. Estque duplex 1. *Implacabilitas*, quæ est affectus Mansuetudini oppositus. 2. *Truculentia* magnanimitati contraria.

23. *Misericordiæ* quatuor affectus quam maxime opponuntur. Quatenus ea est dolor de malo alterius, opponuntur ei ἐπιχαιρεκακία, i. e.

p) cap. 4. n. 41.

i. e. gaudium ob malum alienum; & *Invidia*, i.e. dolor ob bonum alienum. Quatenus autem cupida est ad auxilium oppressis ferendum, itidem duos habet affectus oppositos; 1. *Immisericordiam*, quæ nil aliud est, quàm defectus desiderii oppressis opitulandi, 2. Summum gradum *Truculentiæ*, quæ consistit in cupiditate aliis, qui nunquam nos offenderunt, præcipue, qui ab aliis jam oppressi sunt, ægre faciendi, & afflictis afflictionem addendi. Utraque commode dici posset ἀνανθρωπία (Unmenschlichkeit) quod vocabulum apud Germanos significantius est, quam Latinorum Inhumanitas.

24. Cæterum Vitia primaria per affectus suos secundarios non solùm ab *amore rationali*, sed & *inter se* differunt. *Ignavia, Garrulitas &c.* sunt affectus secundarii *Voluptatis: Laboriositas* & *Reticescentia Ambitionis: Invidia* & *Immisericordia Avaritiæ. &c.*

25. Tandem certi quoque sunt affectus *ex amore & odio* compositi, quorum præcipuus est *Zelotypia*. Estque nil aliud nisi Odium eorum qui idem amant quod nos amamus, vel â re amata amantur, vel odium personæ à nobis amatæ, quando ab aliis amatur, vel se amari patitur. Is affectus uti valde est contrarius, ita summe etiam est irrationalis, oriturque necessario *ex amore irrationali*, maximè ex *avaritia* ac *ambitione* & pro diversa mixtura affectuum horum primariorum diversæ etiam dantur Zelotypiæ spe-

ſpecies vel diſtincti gradus *Metus, Iræ, Invidiæ, Doloris*, ex quibus compoſita eſt *Zelotypia*.

CAP. VI.

UTRUM AFFECTUS SINT BONI AN MALI.

SUMMARIUM.

Connexio n. 1. Diſſenſus Stoicorum & Ariſtotelicorum in hac quæſtione. n. 2. Diſtinguendum eſt inter Affectus in genere, & inter certas affectuum ſpecies. n. 3. Cauſæ cur Affectus in univerſum videantur eſſe mali. n. 4. Homo a teneris per præjudicium Impatientiæ & Imitationis inclinat ad malum. n. 5. Accedente deinceps Conſuetudine inde fit altera quaſi natura. n. 6. Ex hac inquietudine ordinarie in priſtinum ſtatum redire non poteſt, niſi per gradus minoris inquietudinis n. 7 Affectus in genere indifferentes ſunt; ſpecies vero affectuum partim bonæ, partim malæ. n. 8. Boni affectus ſunt bonum extraordinarium, n. 9. & amor rationalis non ſemper eſt affectus. n. 10. Elaborandum etiam eo eſt, ut boni affectus minuantur, imo plane extirpentur. n. 11. Inſignis tamen eſt differentia inter extirpationem bonorum, & inter extirpationem malorum affectuum. n. 12. Indifferentia affectuum in genere propius accedit ad malum, quam ad bonum. n. 13. In dijudicandis bonis & malis affectibus duo ſunt attendenda, ſcopus & proportio motus eorundem. n. 14. Simile petitum a duplici motu in circulo. n. 15. In dijudicatione bonorum malorumque affectum reſpiciendus ſaltem eſt terminus ad quem, n. 16. non terminus à quo n 17. vel medium per quod moventur, n. 18. Prima regula dignoſcendi bonos ac malos affectus: Qui

hominem extra se ducunt, mali sunt, qui hominem in seipsum vertunt, boni. n. 19. Duo cum faciunt idem, non est idem, sed alterius malum, alterius bonum. n. 20. 21. Actio minus tranquilla nonnunquam præstat actioni tranquilliori. n. 22. 23. Aliter Philosophi judicant, aliter Leges n. 24. Regula secunda: Motus nimis sensibilis malus est; moderatior motus bonus, vel minus malus. n. 25. 26. Regula secunda priori est subordinanda. n. 27. & prodest ad dignoscendos diversos gradus bonorum affectuum, n. 28. Affectus nonnulli gaudent nominibus ad bonum vel malum respectum habentibus. n. 29. id quod exemplis, amoris rationalis, amoris hominis virtuosi, amoris hominis, amoris pecuniæ & honoris, iræ, invidiæ, avaritiæ, ambitionis truculentiæ, spei, metûs, misericordiæ demonstratur. n. 30. Judicium de disceptatione Stoicorum cum Aristotelicis de Irâ, an sit affectus indifferens, an bonus? n. 31. 32. 33. de Libro Lactantii de Ira DEI. n. 34.

I.

JAm tandem etiam quæstioni inter priscos Philosophos, Stoîcos inprimis & Peripateticos agitatæ: *Utrum affectus boni sint, an mali?* satisfaciemus. Decidi enim ea prius non potuit, quam definitione & inde derivata affectuum divisione integre absolutâ. Necessaria est autem hæc decisio, ut cognoscamus an amori rationali natura affectus cum amore irrationali communis sit, an vero erraverimus quod in affectu summum hominis bonum posuerimus.

2. Ac Stoicorum quidem ac Aristotelicorum dis-

dissensus in verbis magis consistit, quam in re ipsa, dum Stoici non ut aliæ Sectæ motûs animæ primos extraordinarios affectus esse statuebant, sed voluntatem rebellem & ab amore irrationali subjugatam. Quod cum jam suprà a) notaverimus, nunc plura non addemus.

3. Missis itaque veterum sectarum disceptationibus, cum in affectibus definiendis dividendisque earum rationem non admodum habuerimus; jam quoque è nostris principiis quæstionem decidemus. Primum igitur duo, quorum insignis est diversitas, non sunt confundenda. (1) An affectus *in genere* sit bonus vel malus an vero indifferens? (2) An omnes etiam affectuum species, quæ vulgo eò referuntur, sint indifferentes, an vero bonæ vel malæ?

4. Et primum quidem si consideramus summum bonum, & consequenter genuinam naturam voluntatis humanæ in tranquillitate consistere, & quod parte prima b) docuerimus, quæcunque *essentiam rei conservant*, eiusque vires adaugent, bona esse, item c) omnes *motus* rerum *quietos & ordinarios* esse bonos; deinceps vero cogitamus quod in definitione affectuum notaverimus, affectus voluntatem inclinatione sua, *è tranquillitate sua extrudere* d) eosque è *fortibus* in sensus *impressio-*

a) Cap. 2. n. 11. 15. 16. 23. 33. b) part. 1. c. 1. n. 6. c) d. c. 1. n. 52. 53. d) cap. 3. n. 3. seq. n. 12. seq.

sionibus e) atque è motu sanguinis *extraordinario* oriri, f) videntur sane *affectus* primo intuitu *in universum esse mali*, nec moderandi tantum, sed penitus extirpandi.

5. Sed rei dignitas postulat, ut paullo accuratius eam exploremus, primamque affectuum originem in hominibus debito studio investigemus. Omnes homines *à tenellis* ita affecti sunt, ut in rebus naturam suam in motu ordinario retinentibus nullam delectationem sentiant, semper verò *sensibiles impressiones* in sensus factas, licet malæ sint, *magno desiderio appetant*. Rursus omnes homines inde à pueritia sua eo se inclinare sentiunt, ut aliorum *malas actiones potius quam bonas imitentur*. Breviter, præjudicia Impatientiæ & Imitationis, de quibus suprà g) prolixius egimus, in omnibus hominibus deprehenduntur.

6. Ita vero necesse est hominem per has inclinationes infinitis in locis *à bono declinare*, modicam *tranquillitatem* voluntatis suæ magis magisque amittere, adeoque infinitorum motuum *extraordinariorum* & *turbulentorum* consuetudinem contrahere, qui dicto modo in alteram quasi hominis naturam convertuntur.

7. Ista

e) d. c. 3. n. 47. seqq. f) d. c. 3. n. 63. 68. g) c. 1. n. 42. seq.

7. Ista autem hominis conditio sine controversiâ *pessima* est, neque vero à motibus hisce turbulentis & extraordinariis ad tranquillos ac ordinarios, nisi naturam suam destruere velit, transire aliter potest, quàm *gradatim*. Paralytici *paullatim* membris suis rursus uti discunt, & quibus oculorum acies forti lumine perculsa est, consueto lumini admoti, nisi gradatim ad hoc lumen disponantur, magis *occœcantur*. Necessum igitur est ut à motibus extraordinariis atque turbulentis, ad quietos per *minorem inquietudinem* perveniamus.

8. Ex dictis vero sequitur, Affectus *in genere* esse *indifferentes* i. e. nec bonos, nec malos, intuitu autem *specierum* sunt partim boni, qui nos ducunt ad quietem, partim mali, qui ad inquietudinem nos rapiunt.

9. Simul etiam inde patet, *Affectus bonos* non ad ordinarium, sed ad *extraordinarium bonum* h) referendos esse, sunt enim nil aliud quam animæ quædam medicina. Unde porro sequitur, Affectus bonos respectu tranquillitatis animi, tanquam summi boni ipsius ad quam nos perducunt, esse *bona longe minora*.

10. Ita vero notabile discrimen inter *amorem rationalem*, qui *origo* est *tranquillitatis animi*, & inter amorem, qui *effectus ejus* est, i) deprehendetur. Ille est Affectus. Hic non est affectus, amat enim absque omni inquietudine

h) vid. part. 1. c. 1. n. 114. 118. i) part. 1, c. 2. n. 71.

ac motu extraordinario, fortius tamen quam prior. 1)

11. Sequitur itidem quod *boni Affectus* per quos mediante minori inquietudine ad quietem transimus, non debeant *conservari* in motu suo extraordinario neque *augeri*, sed quod homo potius studio perpetuo eò elaborare debeat, ut quoad motum extraordinarium, quantum fieri potest, subinde *minuantur*. Ergo etiam opera homini danda est, ut *boni* quoque *affectus exstirpentur*, sicut homo qui medicamentis utitur, & *binis crucibus* utrobique fultus incedit, cogitat, quemadmodum recuperatâ valetudine à medicina se abstineat, & cruces abjiciat.

12. Toto tamen cœlo differt *extirpatio malorum* affectuum ab extirpatione *bonorum*. Mali affectus interdum tam insigniter mali sunt, ut homo *plane non* debeat eorum *motus sentire*, e. g. motum Iræ ad vindictam, motum Invidiæ. Sed cum *boni* etiam affecti dicuntur extirpandi, id ita non est intelligendum, quod in iis *motus* amplius sentiri non debeat, sed *extraordinarius* solummodo motûs *gradus* intermittendus est, ut is non amplius sit tumultuarius, sed *sedatus*.

13. Notandum etiam est, *Indifferentiam affectuum in genere*, non esse exacte quasi in centro positam, inter bonum & malum, sed *ad malum propius accedere*, quam ad bonum. Mali enim

1) Conf. part. 1. c. 7. n. 4. 14.

nim affectus plane non propendent ad bonum, & boni affectus non sunt bonum ordinarium, sed extraordinarium. Imo recte dici possunt *mala minora*, & pro differentia circumstantiarum modo propius modo longius à malo distant.

14. Dantur igitur Affectus tam boni quàm mali. *Unde autem cognosco bonine sint, an mali? Duæ regulæ* hîc sunt attendendæ, quarum altera à *termino motûs*, altera à *gradu* seu proportione motûs petita est.

15. Hoc clarius intelliges, si res comparetur cum *circulo*, *cuius termini quomodo se habeant ad centrum ægre percipitur.* Sit *centrum tranquillitas* animi, quod vero reliquum est usque ad peripheriam, *animi inquietudo.* Jam *duplicem motum* concipies, alterum à *centro ad fines* peripheriæ, alterum à terminis circuli *versus centrum.*

16. Cæterum in omni motu tria quidem sunt attendenda, *terminus à quo*, *medium* per quod res movetur, & *terminus ad quem.* In cognoscendis tamen bonis vel malis affectibus non tam respiciendus est terminus à quo, nec medium per quod fit motus, quam terminus ad quem motus dirigitur.

17. *Terminus à quo* nunquam est centrum seu ipsa animi tranquillitas, sed semper est punctum in aliis partibus quæ in disco seu sub peripheria circuli continentur. Nam homo inde à nativitate suâ *è centro ejectus est, & ab eo*

tempore faciem suam veluti convertit à centro ad circumferentiam, donec tandem aliquando inquietudinem ad quam se vertit, perspicit, & inde retrocedit.

18. *Medium* quoque per quod eundum est, in se est *uniforme*, nempe in se spectatum *inquietudo* ac *malum*. Tamen cum minus malum, per quod ad bonum pervenitur, habeatur pro bono, *medium* quoque motus *ad scopum* modo *bonum* existimatur, modo *malum*. Si motus fit *ad centrum* tum *medium* appellatur *bonum*, si vero is tendit *versus peripheriam*, medium dicitur *malum*; Ducenda tamen simul est bonitas vel malignitas medii etiam à secunda regulâ, i. e. à proportione motus respiciendumque an motus fiat *per lineam rectam*, an vero *per ambages*.

19. *Prima* ergo *regula* hæc est: *Affectus omnes qui hominem ex seipso* (è centro) *abducunt*, *& alium habent scopum*, *quam conjunctionem cum aliis hominibus ad tranquillitatem animi adspirantibus*, (cuius scopus tendit ad peripheriam) *mali sunt*. *Contra omnes affectus qui hominem in seipsum convertunt*, *ac cum aliis quietis hominibus coniungunt*, *boni*.

20. Secundum hanc observationem fieri potest, ut *duo idem faciant*, quod in altero tamen *bonum* sit, in altero *malum*, quasi duos conciperem in orbe aliquo sibi obviam venientes in certo quodam puncto, quorum alter tendat versus centrum, alter versus peripheriam.

21. Ita

21. Ita *Iuvenis* è severa disciplina in libertatem emergens, & *crapulæ indulgens à pravâ suâ inclinatione* ducitur, licet *singulis hebdomadibus semel* tantum reddatur ebrius. Alter verò crapulæ antea mancipatus, & qui diem nullum nisi bene potus poterat transigere, à *bonâ inclinatione* ducitur, si à luxuria sua jam eò usque *recessit*, ut *semel* tantum *per septimanam* inebrietur. Sicut Medici hoc pro signo *malo* vel pro morbo habent, si quis *integra valetudine utens* per *horæ* tantum spatium vicissitudinem frigoris & caloris patitur; at si quis *febri correptus* qui ante paroxysmos 12. horas durantes sustinuit, rigorem febrilem caloremve per *horam* duntaxat experiatur, Medici hoc bonum esse pronunciant, cum morbus decrescat.

22. Imo secundum eandem observationem contingere potest, ut *actio aliqua minus quieta melior* existimetur, quam altera quæ *magis* est *quieta*: Ut si duos in circulo progredientes concipiam, quorum alter *centro* quidem *propior* est, sed à centro sese *elongat*, alter verò à centro magis est *remotus*, ad centrum tamen *contendit*.

23. Sic *Ambitiosus*, ambitioni antea penitus immersus, qui miseriam suam cœpit agnoscere, si *serio studet* e. g. iram suam compescere, *bona* inclinatione utitur, etsi in principio data occasione *parum* admodum iram suam *valet mitigare*: cum ex adverso alter ex infimâ

conditione emersus, honoris gustum capere, & *se extollere incipiens malâ* trahatur inclinatione, licet iræ suæ *non tam* succumbat, quam ille. Ita paroxysmus *trium horarum* in febri *accrescente* deterior est paroxysmo *sex horarum* in febri *decrescente*.

24. Memineris tamen hanc boni malique æstimationem valere solum *in doctrinâ morali*, non verò in *Jurisprudentia*. Nam *doctores* quidem ac *amici* hanc regulam observant, sed parum ea valet apud *Magistratus* vel *morum magistros*: Idipsum mihi Cicero videtur significasse, inquiens: *Aliter Philosophi judicant, aliter leges*. Ita sensu politico *scortum* vocatur â libidinoso deceptore, etiam cum sponsione matrimonii imprægnata, quæ vero libidinosos suos amplexus secundum regulas artis meretriciæ affabre occultare didicit, à mundo politico *honesta matrona* appellatur. Longè aliter autem hîc judicant Philosophi.

25. Regula secunda: *Omnis Affectus conjunctus cum motu tam sensibili, quo vel corpus quoad vires suas vel ad momentum sensibiliter enervatur, vel voluntas in majorem inquietudinem detruditur, vel ægre retinetur, malus est. Quando autem motus extraordinarius pestiferis his effectibus caret, motus si non bonus, malus tamen dici non potest.*

26. Sic *zelus* super injuriâ alteri illatâ; item *studium justo fervidius* alteri honesto serviendi, malum est. Sed *Ira temperata* ambitiosi

tioſi minus eſt mala quam furor crudelis tyranni.

27. Nec ſeparanda tamen hæc regula eſt *à priori*; ſed eidem ſubordinanda. Ad *ſcopum* enim *præcipuus* habetur reſpectus in ſecernendis affectibus, nam moderatus etiam affectus malus eſt, ſi ad malum ſe inclinat, & fervidus affectus, per modo dicta, bonis protinus annumeratur, ſi ad bonum finem dirigitur.

28. In conferendis tamen inter ſe *diſtinctis gradibus bonorum affectuum ſecunda regula* ſuam præſtat utilitatem; *Optimus affectus* eſt qui *ad bonum finem* eſt directus, & qui ob motum temperatum *ſcopo proximus* eſt, motus nimirum (in allata ſimilitudine) à peripheria ad centrum, & centro proximus. Et hoc reſpectu non tantum affectus omnes mali vocantur, non ſolum hominem à centro abripientes, ſed & ad centrum tendentes, longius tamen à centro remoti.

29. Iam ſecundum *duas has regulas* non modo de affectibus in genere, ſed & de *ſingulis* eorum *ſpeciebus* judicari poteſt. Notandum tamen hic eſt affectus nonnullos hujusmodi gaudere *appellationibus*, quarum deſcriptioni mentio *boni* vel *mali* aperte inſerenda eſt; in aliis vero non neceſſum eſſe ut mentio fiat boni vel mali. *Illi* ſemper *boni* ſunt vel *mali*: *Hi* vero pro ductu duarum regula-

rum supra positarum apti sunt ut pro re nata vel boni *fiant*, vel mali.

30. Ita *Amor rationalis* semper *bonus* est affectus. Non potest enim dici rationalis, nisi ad utramque regulam institutus. *Amor hominis virtute præditi* in se est indifferens, potest enim juxta secundam regulam nimis fervidus esse. *Amor hominis* adhuc magis indifferens est, nam pro re nata & juxta tenorem primæ vel secundæ regulæ bonus vel malus esse potest. *Desiderium opum atque honoris* indifferens est, potest tamen secundum circumstantias prioris vel posterioris regulæ bonum fieri vel malum. *Ira* semper malus est affectus, per priorem regulam, idem statuendum est de *Invidia*. *Avaritia* & *Ambitio* mali sunt affectus, tam secundum priorem quam posteriorem regulam. Par ratio est *Truculentiæ*. *Spes*, *Metus Misericordia* sunt indifferentes, tam secundum priorem regulam, quam posteriorem, Et sic de reliquis.

31. Hæc cautela ideo notatu digna est, ne cum Peripateticis nos confundamus. Hi rectè quidem *affectibus in genere* indifferentiam tribuunt, dum eos nec bonos esse statuunt, nec malos; sed cum deinceps ad *distinctas affectuum species* deveniunt, ad eandem indifferentiam hos etiam affectus trahere conantur, qui naturâ sua non nisi mali sunt.

32. Atque inde potissimum inter hos & Stoicos *de Irâ* controvertitur, quæ contro-

ver-

versia pasim occurit in Senecæ libris de Irâ. Nos *Stoicis* quidem non assentimur, qui affectus omnes malos esse prædicabant, quia affectus non rectè definiebant. Neque tamen quoad Iram *Peripateticis* contra Stoicos possumus accedere. *Ira* enim naturâ suâ, & quia est cupiditas ulciscendi & lædenti incommodandi, mala est. Debuissent igitur Aristotelici Iram affectibus potius planè non annumerare, quod Stoicis quidem licebat, qui affectus omnes malos esse statuebant: Porro cum Peripatetici Iram pro indifferenti habeant, cur non itidem Avaritiam vel *Invidiam* censent indifferentes? Neminem enim Peripateticorum novi qui Invidiam non habuerit pro malo affectu.

33. Si quis etiam prætendat, Peripateticos bonos & malos affectus tantum *secundum posteriorem regulam* distinxisse, eosque malos statuisse, in quibus fuerit motus nimis concitatus, bonos vero vel certe indifferentes, quorum motus fuerit attemperatus; tamen hâc excusatione parum proficeret, cum quod necessitas prioris regulæ in dijudicatione bonorum malorumque affectuum jam supra demonstrata est, tum quod rursus obstat exemplum Invidiæ, cujus motus naturâ suâ tardus magis est & clandestinus, quam servidus & concitatus.

34. Hâc cautelâ ritè observatâ facile respondebis ad *Lactantii librum de Ira DEI*, tan-

quam errori huic Aristotelis, quem pro reliquis Philosophis magnifaciebat, innixum.

CAPUT VII.

COLLATIO QUATUOR PRIMARIORUM AFFECTUUM, AMORIS RATIONALIS, AMBITIONIS, AVARITIÆ & VOLUPTATIS.

SUMMARIUM.

Connexio n. 1. Cur unicus tantum detur amor rationalis, sed plures species amoris irrationalis? n. 2. Quatuor amoris species e distinctis classibus rerum amatarum deductæ. n. 3. Item tria vitia primaria e Politica. n. 4. E tribus principiis, Sale, Sulphure & Mercurio. n. 5. Icones 4. affectuum primariorum in Igne, Aqua, Terra, Aere, n. 6 Eorum fundamentum in 4. humoribus, sanguine, cholera, Melancholia, phlegmate, n. 7. & trium vitiorum in tribus Ventribus. Fundamentum 4. Virtutum cardinalium n. 8. Collatio trium vitiorum secundum tres hominis ætates. n. 9. Secundum statum Ecclesiasticum, Politicum & Oeconomicum. n. 10. In vita. Academica secundum Studiosos & Professores Philosophiæ. n. 11. & trium facultatum superiorum n. 12. In Statu Politico secundum tentationes Principum, n. 14. In statu Oeconomico secundum vitam literatorum. mercatorum, opificum & militum. n. 15. Comparatio amoris rationalis cum tribus vitiis principalibus intuitu virtutum ipsi conjunctarum n. 16. 21. Quibusnam vitiis Voluptas, Ambitio & Avaritia amori rationali potissimum opponantur. n. 22. 23. 24. Mixtura avaritiæ & ambitionis, item avaritiæ & voluptа-

ptatis. n. 25. Mixtura ambitionis & voluptatis amori rationali non admodum videtur dissimilis. n. 26. Filiæ trium vitiorum primariorum, & 4. affectuum primariorum secundum eas comparatio, nimirum secundum Ignaviam, Vindictæ cupidinem, Invidiam n. 27. 31. Alterationes intellectus humani secundum quatuor affectus primarios. n. 32. ἀνακεφαλαίωσις totius doctrinæ in tabulis n. 33.

I.

IN præcedentibus diximus amorem rationalem *bonum* esse affectum, voluptatem vero Ambitionem ac Avaritiam *malos* affectus. Etsi autem nostri instituti non est, ut de amore rationali polixius adhuc agamus, id enim in parte priori integre præstitimus, sed cogitandum potius nobis sit, quemadmodum amorem irrationalem cognoscere discamus ac manuductionem præbeamus, quâ ratione is coërceri debeat; Proderit tamen prius facilioris doctrinæ causa non solum *amorem rationalem cum tribus speciebus amoris irrationalis*, sedet *has ipsas tres species inter se* conferre.

2. Amor rationalis *unius* tantum est generis, irrationalis vero *diversas* habet species. Una est Veritas, errores multi; una recta linea, plures curvæ; Unicum bonum, mala plura; Una virtus, vitia multa. Aristotelici multa garriunt de Justitiâ suâ, quod virtutes omnes in se contineat. Nos vero jam in priori parte a) ostendimus amorem longius sese extendere quam Justi-

a) c. 4. n. 64. seqq. & cap. 5. n. 104. seqq.

sticiam, de amore autem rationali rectius dici potest quod virtutes omnes sub se complectatur; quodque is qui non omnes possidet virtutes, certus esse queat, se amore rationali carere, imo ne unicam quidem virtutem vere possidere, sed fucatam tantum virtutis speciem.

3. Cæterum numerum ternarium affectuum principalium amoris irrationalis jam paullo supra b) è tribus virtutibus ad amorem rationalem pertinentibus derivavimus. Potest tamen & alio modo demonstrari, *Quilibet homo amat aliquid.* Quicquid secundum captum rationis amari potest, vel *DEUS* est, vel *Homo*, vel *creaturæ infra hominem*. De *Amore DEI* ratio sibi relicta nil aliud scit, nisi quod is unicè in amore hominum quærendus sit. Relinquitur ergo *Amor hominum* & Amor *creaturarum infra hominem.* Homo vel est animo tranquillo vel irrequieto. *Amor rationalis* amat *homines animi tranquillitate præditos*; Homo irrequietus *naturam humanam* partim studet *opprimere*, & ex homine bestiam formare, dum tranquillitatem suam frustra quærit in voluptate sensibili; Hujusmodi homines promtissimè se *voluptati* accommodant; partim *humanam naturam* supra Sphæram suam à Deo ipsi positam vult *evehere*, & quietem suam in vanâ quærit imaginatione. Hoc hominum genus *Ambitioni* patet. Qui hominem nullum amat, is necessario delectatio-

b) cap. 5. n. 11.

tionẽ ſuam quærere debet *in inferioribus creaturis*, e.g. canibus, equis, plantis, lapidibus &c. Illa omnia nummis poſſunt comparari, & in pecunia quaſi concentrantur. Unde Amor iſte dicitur *Avaritia* ſeu φιλαργυρία.

4. Sed ex aliis etiam diſciplinis tria hæc vitia primaria poſſunt deduci: *Politica* hæc nobis ſuppeditare poterit. Autor ingenioſus hiſtoriæ Sevaramborum clariſſime oſtendit, fontem omnis mali in Republica originem inde traxiſſe, quod introducto diſcrimine inter nobiles & plebejos communio bonorum fuerit abrogata. *Illud Ambitionem* ad ἀυμὴν evexit. Introductio dominii bonorum pauperes & divites peperit, *Opulentia Voluptatem*, *Paupertas Avaritiam* aluit.

5. *Philoſophia naturalis* idem nobis oſtendit, ex alio licet fundamento. Non eſt dubium animam humanam tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem à qualitate corporis valde alterari. Corpus noſtrum conſtat ex principiis. Principia hæc, quod pace Ariſtotelicorum & Carteſianorum dictum volo, non alia ſunt, quàm Sal, Sulphur & Mercurius. Ea ſi *juſte* eſſent *temperata*, tum homo ſuâ gauderet quiete, & *amor rationalis* foret eſſentia animæ ejus. Sed mox *Sulphure* ignito ac fervido prædominante, anima ad *Ambitionem* inclinatur; Mox *Mercurio* volatili & fluido excedente, anima trahitur ad *Voluptatem*, denique *ſale* gravi &

ad

ad terram trahente præponderante, cor hominis *pecuniæ* adhæret.

6. Quod si rem è *quatuor Elementis* etiam derivare velimus, non longè à priori observatione recederet. *Ignis* omnia consumens furenti *Ambitioni* respondet. *Aqua* inconstans & omnes formas induens variabili *Voluptati*. *Terr* frigida & dura *avaritiæ* immisericordi ac invidiosæ, *aër* denique purus & serenus *Amori puro* atque sereno.

7. Imo ipsa *hominis natura* quatuor hos affectus primarios nobis commonstrat. Quantum enim Physici digladientur de quatuor humoribus, quotidiana tamen experientia ostendit, quatuor præcipue dari humores, & 4. hominum genera esse, quatuor distincta humoribus atque affectibus. *Sangvinei* fortes experiuntur tentationes à *Voluptate*, *Cholerici* ab Irâ *ambitionis*, *Melancholici* ab *amore terrestrium creaturarum*. Et si haberemus *Phlegma* aliquod rectè temperatum, darentur etiam homines qui experirentur naturalem impulsum ad *Amorem patientem ac misericordem*. Sed cum id quod phlegma vocamus, vel sit mixtura melancholiæ cum cholerâ, i. e. particularum salinarum & sulphurearum, vel cum massa sangvinea apud sanguineos in serum ac pituitam degenerat, mirari non debemus si nobile nomen phlegmaticorum sæpius pro hominibus insidiosis ac malitiosis, vel desidiosis & ineptis catachrestice usurpatur.

8. No-

8. Notum est homini tribui *tres Ventres.* In *capite* dominatur *Ambitio*, in *corde Avaritia*, in *infimo ventre Voluptas.* Ex hâc observatione enatæ sunt quatuor Virtutes cardinales priscorum Philosophorum, *Prudentia* quæ in capite resisteret *ambitioni*, *Fortitudo* quæ in pectore supprimeret meticulosam *avaritiam*, & *Temperantia* quæ in ventre inferiori *voluptatem* coërceret. Hæ tres virtutes conjunctim sumptæ nomine *Justiciæ*, (à nobis verò, ut modo dictum, rectius nomine Amoris rationalis) indigitantur.

9. Ac infra quidem ostendemus tria vitia primaria apud omnes homines cujuscunque conditionis deprehendi, & singula per vices dominari. Experientiâ tamen docemur, *in juventute voluptatem*, in *ætate virili ambitionem*, & in *senectute avaritiam* maxime eminere, majoresque insultus occasionesq; peccandi præbere. *Amor rationalis* in singulis ætatibus nil habet peculiare, quippe qui in nullâ ætate naturaliter fit passio dominans.

10. Homines pro ratione Statuum dividuntur in statum Ecclesiasticum, Politicum & Oeconomicum. *Oeconomicus* maxime impetitur à *Voluptate*, *Politicus* ab *ambitione*, *Ecclesiasticus* ab *avaritia.*

11. In *Statu Academico Studiosis* cavenda est *Voluptas*, *Professoribus disciplinarum theoreticarum*, e. g. Physicæ, Matheseos &c. *Avaritia*, *Practicarum ambitio.*

12. In Facultatibus superioribus *Voluptas*, præ-

præcipue insidiatur *Medicis*, *Ambitio JCtis*, *Avaritia theologis*.

13. In *statu Politico* homines dividuntur in Principes & subditos. *Princeps* trium affectuum fortibus insultibus obnoxius est, & partim sibi cavere debet à blandientibus *adulatoribus*, ne ejus provocetur *Ambitio*, partim *à lenonibus* & *parasitis*, ne in ipso excitetur *Voluptas*; partim denique à pestifero genimine *Exactorũ* subditos exugentium, ne eius irritetur *Avaritia*.

14. Subditi dispescuntur in Nobiles, Cives & Rusticos. *Nobiles* premuntur ab *Ambitione*, *Cives* à *luxu*, *Rustici* ab *avaritia*.

15. In statu *Oeconomico Literati* caveant *Ambitionem*, *Mercatores avaritiam*, *Opifices voluptatem*. *Milites tribus simul tentationibus* sunt expositi.

16. Nunc etiam Amorem rationalem secundum virtutes ei adhærentes tribus vitiis istis opponamus. *Amor rationalis taciturnus* est & *candidus*, loquitur quæ loquenda sunt, tacet tacenda. *Voluptas* est *garrula* atque temeraria & quæcunque effutiens. *Ambitio mussitatrix* est, & ex omnibus rebus facit arcana ac mysteria. *Avaritia* est *dolosa*, & aliter loquitur, quam in corde sentit, breviter, *mentitur* & *simulat*.

17. *Amor rationalis* ergo alios *benificus* est & *liberalis*, *Voluptas* & *Ambitio* sunt *prodigæ* idque modo levissimo ac vanissimo. *Avaritia tenax* immisericors & *in expendendis nummis difficilis*.

18. *Amor rationalis* est *æquanimis*, & erga quos-

quoscunque se præbet talem, qualem decet. *Voluptas servilis* est, *Ambitio elata*, & *Avaritia* modo stolide superba, seu *tumida*, modo histrionica, *parasitica*.

19. *Amor rationalis* est *dolorem sentiens*, sed *animosus*, patiens tamen, *Voluptas* usque ad excessum *tenerrime dolens*, *impatiens* & pavida, *Ambitio* efferata & *temeraria*, *Avaritia insidiosa* & *crudelis*.

20. *Amor rationalis* est *sobrius*, *temperans*, *moribusque honestis*, *Voluptas vorax*, *vinolenta*, *libidinosa*, *Ambitio Stoicæ* operam dat *inediæ*, nec ulla faciei formositate *movetur*; *Avaritia* est sordida ac μισογύνης.

21. *Amor rationalis frugalis* est erga seipsum, *Voluptas prodiga*, *Ambitio tenax* & *Avaritia nummilega*.

22. Itaque *amor rationalis* Voluptati maxime mediante *Temperantia* & *Parsimonia* oppositus est & contrarius. in Candore ac Liberalitate, item in æquanimi humanitate teneroque dolore Voluptas paullo propior est amori rationali, quia nimis est candida, liberalis, humana, & in excessu tenerè dolens.

23. Ab *Ambitione* amor rationalis præcipue differt *Æquanimitate* ac *Generositate*: In taciturnitate, liberalitate, temperantia & parsimonia ambitio ab amore rationali minus abhorret, quia in excessu taciturna, liberalis, temperans & parca est.

24. *Avaritia* nihil omnino habet quod amori

rationali simile sit, (cum avaritia nullum hominem amet) Ejs tamen *dolus* & *immisericordia* magis adversatur amori rationali, quam ejus sordes & nummilegium erga seipsum. His vero longius distat à Voluptate, quam ab Ambitione, sicut insidiosâ ac dolosâ immisericordia Voluptati certis in casibus magis adversatur, quam amori rationali. Timida verò crudelitate, item servili superbiâ, ac histrionica & prasiticâ servitute portentosa ratione in se unit passiones voluptatis ac ambitionis è diametro sibi contrariantes.

25. Hinc quemadmodum Amor rationalis cum vitiis ægrè miscetur; ita *mixtura Ambitionis* cum *Avaritia* non æquè ridicula est, quam *Avaritiæ* & *Voluptatis*, in qua omnes distantiam à verâ virtute clarissime animadvertunt.

26. Imo *mixtura Voluptatis* & *Ambitionis* non admodum perspicacibus *fucum quendam* illinit *amoris rationalis*, quia horum vitiorum alterutrum semper aliquid habet, quod alterius elongationem à verâ virtute compensat. Garrulitas voluptatis musitatione avaritiæ, & vicissim musitatio garrulitate temperatur, ut *taciturnitati* atque *candori* amoris rationalis non admodum sit dissimilis. Prodigalitas in expensis voluptatem afferentibus & prodigalitas in expensis ad vanos honores mixtura utriusque factâ utrobique ita cohibetur, ut propius accedat ad *liberalitatem* amoris rationalis, imo Magnificentia quædam existimetur. Mixtura Superbiæ & servilis submissionis *æquanimitati* ac *humanitati* valde similis videtur, & temerarius furor, meticuloso dolori permistus larvam induit verè *doloroſæ fortitudinis*. Stoica inedia & tenacitas cum prodigâ intemperantiâ mista, valde *temperanti parsimoniæ* assimilatur.

27. Cæ-

27. Cæterum certis quibusdam signis tam amor rationalis à quibuscunque vitiis; quam ipsa vitia inter se discernuntur: *Otium* atque *Ignavia* progenies est *Voluptatis*; *Ira* ac *Vindicta Ambitionis*; *Invidia & Immisericordia Avaritiæ*.

28. *Voluptas* ad omnes labores est *ignava* & difficilis: *Ambitio* vero *laboriosa*, *Avaritia* non detrectat *laborem asininum*, *Amor rationalis* est *alacris* ac *negotiosus*, utitur tamen recreatione.

29. *Ambitio* est *iracunda* & *vindictæ cupida*; *Voluptas iracunda* sed *tenere dolens*, *Avaritia* iram *dissimulat* & *differt*, *Amor rationalis patiens* est & facile *condonat*.

30 *Avaritia invida* est & *immisericors*, *Voluptas* aliis *officia ignava ac luxuriosa* præstare conatur. *Ambitio* inservit aliis quoad *iram* & *vindictam*. *Amor rationalis gaudet* super aliorum fortuna, estque *officiosus*.

31. Simul etiam inde patet, voluptuosam *ignaviam* & ambitiosam *sedulitatem*, item ambitiosam *vindictæ cupiditatem* & *voluptuosam lenitatem* permixtas, induere posse speciem *amoris rationalis*.

32. Supra notavimus voluntatem regere intellectum, non verò intellectum voluntatem; Considerandæ igitur etiam sunt *alterationes intellectus* secundum quatuor affectus primarios. *Avaritia* præstat *felicem memoriam*, absque bono ingenio ac judicio; *Ambitio exactum judicium* absque felici ingenio & memoria. *Voluptas excellens ingenium* absque bono judicio ac memoria. *Amor rationalis* tria illa debito modo possidet, & *mixtura ambitionis & voluptatis* iterum puleram exhibet figuram. Nam ubi reperitur ingenium & judicium, ibi non admodum desideratur memoria.

33. Ecce jam generalem Epitomen præceptorum præcipuorum de Affectibus, quæ si ex fundamento intelligis, *clavem* possides *cognitionis tui ipsius & aliorum hominum*. Studebimus ea in sequentibus demonstrare, & quo rectius possis singulorum collationem instituere, in usum tuum sequentes tabulas construximus.

I.

Amor rationalis.	Voluptas.
Homines quieti.	Naturam humanam supprimentes.
- -	Divitiæ.
- -	Mercurius.
Aër.	Aqua.
Phlegma.	Sanguis.
- -	Venter infimus.
Justitia.	Temperantia.
- -	Juventus.
- -	Status Oeconomicus.
- -	Studiosi.
- -	Medici.
- -	Prin-
- -	Cives.
- -	Opifices.
- -	Mi-

Am-

I.

Ambitio.	Avaritia.
Naturam humanum nimis evehentes.	Creaturæ infra hominem.
Nobilitas, plebeji.	Paupertas.
Sulphur.	Sal.
Ignis.	Terra.
Cholera.	Melancholia.
Cerebrum.	Cor.
Prudentia.	Fortitudo.
Ætas virilis.	Senectus.
Status Politicus.	Status Ecclesiasticus.
Philosophi practici.	Philosophi theoretici.
JCti.	Theologi.
ci-	pes.
Nobiles.	Rustici.
Literati.	Mercatores.
li-	tes.

II.

Amor rationalis.	Voluptas.
1. Taciturnus Candor.	1. Præcipitans Garrulitas.
2. Benefica Liberalitas.	2. Turpis Prodigalitas.
3. Æquanimis Humanitas.	3. Servilis Submissio.
4. Patiens Magnanitas.	4. Impatiens Meticulositas.
5. Sobria & frugalis Castitas.	5. Temulenta & Vorax Libido.
6. Parsimonia.	6. Prodigalitas.
7. Negotiosa Alacritas.	7. Ignavum Otium.
8. Patiens Fortitudo.	8. Iracunda Mollities animi.
9. Hilaris Officiositas.	9. Officia lenonum & histrionum.
10. Mediocris Memoria. mediocre Ingenium. Judicium.	10. Ingeniosa Inveniendi facultas.

Am-

II.

Ambitio.

1. Obstinata Reticentia.
2. Affectata Magnificentia.
3. Despiciens Superbia.
4. Violenta Audacia.
5. Stoica Inedia & Insensibilitas.
6. Parcitas.
7. Inquies.
8. Excandescens Vindictæ cupido.
9. Officiositas audax & violenta. s. Officiasicariorum.
10. Judicium exactum.

Avaritia.

1. Fraudulentum Mendacium & Simulatio.
2. Immisericors tenacitas & solvendi difficultas.
3. Inflatio, Iactantia, Parasititas.
4. Insidiosa Crudelitas.
5. Sordida Misogynia.
6. Nummilegium.
7. Labor asininus.
8. Clandestinum vindictæ studium.
9. Invida ἐπιχαιρεκακία.
10. Excellens Memoria.

CAPUT VIII.

DEDUCTIO OMNIUM VERARUM VIRTUTUM EX AMORE RATIONALI.

SUMMARIUM.

Connexio n. 1. Tranquillitas animi poscit harmoniam facultatum cogitationum. n. 2. Differentia memoriæ, ingenii & judicii. n. 3. Amor rationalis tribus his facultatibus utitur in æquali proportione, n. 4. easque conservat in mediocri exercitio. n. 5. Amor rationalis est taciturnus, n. 6. candidus, n. 7. liberalis, n. 8. erga omnes humanus, n. 9. animosus. n. 10. (Mors non est omnium maxime formidanda, sed minimum objectum fortitudinis, n. 11) temperans & castus, n. 12. frugalis, n. 13. negotiosus & alacris, n. 14. patiens & magnanimus, n. 15. officiosus.

I.

SUperiori capite notavimus *virtutes omnes sub amore rationali contineri.* Easque nominavimus, & vitiorum modis & qualitatibus oppositimus. Id jam clarius adhuc exponemus, nam multum conferet ad vitiorum qualitates virtutibus oppositas rectius intelligendas.

2. Amor rationalis nil aliud est quam animi tranquillitas. Ubi adest animus tranquillus, ibi etiam necessum est adesse tranquillas cogitationes. Non possunt autem cogitationes esse tranquillæ, nisi adsit perfecta quædam harmonia inter *facultates intellectus.* Quæ si a-

li-

liquâ laborarent inæqualitate, & facultas altera alterâ esset superior, nulla posset esse tranquillitas, quia æque certum est, datâ inæqualitate dari inquietudinem, quam numerum parem & imparem additos parem numerum procreare non posse.

3. Has tres facultates nominavimus *Memoriam*, *Ingenium*, *Iudicium*. *Memoria* nobis rem absentem eâdem figura, eodemque ordine repræsentat, quibus eam præsentem concepimus. *Iudicium* non solum præsentia à diversis discernit, item ea quæ naturaliter commixta sunt, sed prohibet etiam ne quid rebus diversis tribuamus, vel iisdem addamus, quod iis non congruit. *Ingenium* hominem quasi elevat, ut idoneus sit ad rem inveniendam, & quæ memoriter tenet, componenda, item quæ in rebus præsentibus sunt homogenea facile observanda.

4. *Tres* hæ *facultates* in intellectu hominis rationaliter amantis sunt in æquali Harmoniâ, quia amor rationalis se non immiscet rebus allotriis, sed cum praxi *amoris universalis*, & conjunctione in amore particulari occupatus est. Uterque amor non eget magno labore ac speculatione, adeoque hic non opus est judicio magnopere subtiliterque acuendo. Imo cum hic non respiciantur res longius distinctæ, *memoria* etiam non opus habet ingenti extensione, & quia in amore rationali nil dolose agitur, nec certas inventiones personis amatis objici-

mus, eisque nobis existimationem quærimus, *Ingeniũ* non eget excellenti aliquâ exploratione.

5. Nec existimandum tamen est in amore rationali tres hasce facultates *nil invenire quod agant*, sed quia his non opus sit, necessum esse, ut otiosæ quasi obtorpescant. Homines stupidi & simplices, non sunt virtute præditi, etsi virtuosi non admodum sint subtiles, callidi, excellentes Poetæ &c. nec exemplum præbeant stupendæ memoriæ. Amor rationalis abunde habet quod agat, si *memoriam*, *judicium* & *ingenium* velit in mediocri labore retinere, tam in exercendis virtutibus amoris universalis, quam si in electione ac exploratione, item in acquisitione ac conservatione amici vere virtuosi, præsertim si is adhuc debilitatibus est obnoxius, *iudicium*, *memoriam*, & *ingenium suum* utiliter adhibet. Imo cum veritas in solo reperiatur amore rationali, ejus autem exploratio *judicio*, *memoria atque ingenio* carere nequeat, hujus denique primarium officium sit, ut errorum multitudinem ab unica veritate secernat; facile etiam inde colligitur amorem rationalem tres hasce facultates semper *in temperata quadam Harmonia usurpare*.

6. Amor rationalis *taciturnus* est, in *alienis* tamen magis negotiis, quam in propriis. Id vero debet Iudicio, sine quo intempestiva suâ garrulitate amicis facile posset incommodare. *Nec ex quibuscunque tamen rebus facit mysteria*, cum non minus amici, tanquam virtute præditi

diti nemini incommodare, adeoque paucas actiones celare ſtudeant. *Humanitas* hanc expoſcit taciturnitatem, ne è garrulitate malevoli anſam capiant amicis ejus incommodandi. *Veracitas* id poſtulat, ſi tacere ſe velle promiſit. Nonnunquam iſtud etiam requirit *Modeſtia*, (per *Taciturnitatem enim in genere intelligimus virtutem quæ tacet quando tacendum eſt*) e. g. ne ſoli clamoribus perpetuis in conventibus aliis obſtrepamus, item *Manſuetudo*, ne verbo quodam aculeato quenquam offendamus, maxime verò Patientia, ut tacendo parvas iniurias concoquamus, nec ogganniendo crabrones irritemus. Plura adhuc dicenda reſtarent de *Amore particulari*. Taciturnitate enim alios *diſcimus cognoſcere*, eisque præſtitis *officiis* obviam imus; Nonnunquam etiam taciturnitas ſummis annumeratur *beneficiis*, denique cum τό tacere ſit actio rationalis, indubitanter quoque pertinet ad *communionem* actionum ſecundum rectam rationem inſtitutarum.

7. Amor rationalis eſt *candidus*, eaque dicit quæ ſentit. *Candor* iſte ſeu loquendi ſinceritas *eſt virtus quæ loquitur, cum tempus eſt loquendi*. Non enim habet animum ulli homini incommodandi, adeoque non opus habet ut dolos quosdam occultet, videt potius atque intelligit, quantum loquendo etiam aliis poſſimus prodeſſe. Ac *Humanitate* quidem urgetur, ut alios contra damnum imminens præ-

præmoneat; Id ab eâ poscit *Veracitas*, si candide aliquid se dicere velle promisit; *Modestia* quoque requirit ut in congressibus optima quæque loquendo immisceamus, nec tanquam proditores aliorum dictis insidiemur; Item *Mansuetudo*, ut ubique sermonibus nostris paci studeamus, quandoque etiam *Patientia* ut bonis verbis lædentes retineamus, ne pergant furendo nos amplius lacessere. Præterea in *amore particulari* candidis sermonibus alios *explorare* discimus & apud eos nos *insinuamus*. Iusto tempore loqui magnum est *beneficium*, referendumque ad *communionem* actionum secundum rectam rationem institutarum.

8. Possemus & reliquas virtutes in posteriori tabula adductas ex partibus amoris universalis & particularis deducere, nam virtus virtuti manum subinde quodammodo porrigit: Brevitatis tamen studio saltem ostendemus, ex qua potissimum quæque derivetur. *Benefica Liberalitas* est quidam quasi rivulus ex universali *humanitate* & confidenti *beneficentia* amoris particularis promanans, & explicandus ad ductum præceptorum & monitorum, ex quibus in priori parte huius disciplinæ duas has virtutes exposuimus, ne in *Prodigalitatem* & *fucatam Beneficentiam* degeneret. Nam *benefica Liberalitas nil aliud est quam virtus ex animo sincero cuique de abundantia sua impertiens, amicis vero etiam non sine impensa, ad veram eorum utilitatem promovendam, commodans.*

9. Æqua-

9. *Æquabilis Humanitas est virtus, quæ omnibus ac singulis, præcipuè vero amicis humanam sese præbet, & cuique æquale jus, etiam cum remissione proprii juris, pro re nata concedit.* Virtutem hanc Amori rationali necessario adesse debere, ex supra dictis de *Humanitate* & *Modestia* probabitur, quandoquidem ex duabus hisce coniuncta est.

10. *Patiens Magnanimitas est virtus, quascunque adversitates ac illatas injurias æquo animo impavidè tolerans, nec de his querelas instituens.* Hæc virtus inde conficitur, cum amor rationalis *naturalem in DEO fiduciam* exercere, & metum creaturarum profligare studet, qua de re etiam in priori parte Ethices a) docuimus. Præterea sana ratio abunde testatur, *Metum* mali, quod declinare nequimus, nil nisi *inquietudinem* parere, ac cupiditatem rerum impossibilium; Querelas verò hanc inquietudinem significare atque augere. Ea vero *inquietudo ab amore rationali exulat.*

11. Hic se offert admonendi locus de vulgato errore Philosophorum, *Mortem cum Aristotele suo pro re omnium terribilium terribilissima venditantium*, cum opinio hæc absurdissima sit, & ab ingeniis plusquam muliebribus conficta. Ostendimus iam in priori parte b) *Mortem etiam secundum Philosophiam bonam esse.* Ac si quis rem mediocriter iuxta normam rationis qui-

a) P. 1. c. 3. n. 28. 30. b] P. 1. c. 1. n. 40.

quibuscunque hominibus inditæ exigat, deprehendet, *Mortem levissimum fere Objectum esse, in quo patiens animositas rigorem suum virtuosum exerceat.* Et facilius esse, morti, quam sine durabili dolore oppetere possumus, obviam ire, quam e. c. cum Mutio Scævola manum igni patienter immittere.

12. *Sobria & temperans Castitas est virtus modico utens cibo ac potu, eoque parum sapido, quantum eius ad corpus sustentandum sufficit, eoque talem sibi generandi facultatem comparare studens, quæ ob excessum atque fervorem suum hominem non abripiat ad prohibitam & à sana ratione exorbitantem libidinem.* Ad hanc virtutem nos adducit *Amor nostri* c) item quod sana ratio docet, naturam paucis esse contentam, & quod pane & aqua vitam maximâ cum tranquillitate traducere, ac abstinendo à cibo & potu calido varioque, varios quoque fervores libidinosos atque turbulentos evitare valeamus.

13. Inde vero nascitur *Parsimonia*, quæ est *virtus qua pauca in usus nostros erogamus, eaque solum paramus, quæ ad conservandam sanitatem necessaria sunt, quæque inde relinquuntur in aliorum commoda consumimus, & in hunc finem superflua asservamus.*

14. Porro omnes hæ virtutes opus habent *exercitio* & *attentionem* exposcunt. Ex quo facile intelligitur, *Negotiosam Alacritatem* itidem esse

c) P. 1. c. §. n. 27. seqq.

esse partem necessariam Amoris rationalis: Estque *virtus ad quæcunque amoris officia, quotquot offeruntur, alacris atque parata, & semper in aliquo negotio occupata, quod tendat ad emolumentum hominum, præcipue amicorum.*

15. *Patiens Fortitudo* est *virtus quæ non movetur illatis iniuriis, tantum abest ut ulciscendi occasionem quærat, cum eam quantumvis oblatam respuat.* Etsi autem paucissimi hanc virtutem habeant pro rationali, vel pro parte amoris rationalis, cum hi qui omnium maximè rationales existimantur, ambitiosi sint, amor vero rationalis nulla re magis, quam hac virtute ab ambitione discrepet; tamen in priori parte rationalitatem ac nobilitatem patientiæ hujus justa, prolixa accurataque demonstratione asseruimus.

16. Tandem *Hilaris Officiositas est virtus non solum aliis, præsertim amicis, ex animo inservire studens, verum etiam gaudens, cum aliis bene est.* Hæc tam necessaria est ad amorem rationalem, ut quisque facile intelligat, amorem absque ea amorem esse non posse, amorem sine *officiis amoris* non posse consistere, hosque à nobis neutiquam amari, è quorum fortuna nullam capimus lætitiam.

CAP.

CAP. IX.
DE
VOLUPTATE, ET VITIIS INDE EMANANTIBUS.

SUMMARIUM.

Voluptatis varia significatio. n. 1. Ejus Definitio. n. 2. Quænam significatio sit hujus loci. n. 3. Quid voluptati commune sit cum amore rationali, item cum ambitione & avaritiâ. n. 4. Omnes voluptuosos ad quietem contendere. n. 5. Omnes voluptuosos quietem suam quærere in vicissitudine. n. 6. Appetere conjunctionem cum sui similibus voluptuosis. n. 7. Voluptatem petere ex hominibus. n. 8. Quietem suam frustra quærere in vicissitudine. n. 9. Vicissitudinem laborare infinita inquietudine. n. 10. Voluptuosos nulla finita vicissitudine oblectari posse. n. 11. Suboriri etiam Indignationem, cum ea vicissitudo non semper sit in hominis potestate, n. 12. sed interdum etiam coactus detineatur in his quæ delectationi sunt contraria, n. 13. Differentia voluptatis ab Ambitione & Avaritiâ. n. 14. Delectatio Gustus & Tactus. n. 15. Homo voluptatem suam quærit in cibo & potu nimis sapido. n. 16. & in eorum varietate, n. 17. quibus assuefactus prolabitur in excessum. n. 18. Voluptas venerea ex natura sua nimis est sensibilis & afficiens, n. 19. cibo & potu tamen valde augetur. n. 20. Voluptatem gustus & tactus reliquis omnibus oblectamentis præferunt. n. 21. Et ex utraque quietem suam expectant, n. 22. Etsi alii Baccho magis ac Gulæ, n. 23. alii Veneri magis indulgere videantur. n. 24. Oblectamenta reliquorum sensuum in voluptuosis referuntur ad voluptatem gustus & sensus venerei, n. 25. Delectatio nempe Visus, n. 26. Auditus, n. 27. & Olfactus. n. 28. Natura hominis

paucis

paucis est contenta. n. 29. Voluptuosi multa sibi superfluè ac præter necessitatem comparant. n. 30. Diversitas suppellectilis hominis virtuosi, & voluptuosi. n. 31. 32. Quibus in rebus occupetur Prodigalitas voluptuosorum. n. 33. Demonstratio quod Teneritas non sit perfectio, sed signum voluptatis. n. 34. 35. Quomodo differant Memoria, Judicium & Ingenium. n. 36. Voluptuosos non quidem præditos esse excellenti memoriâ, n. 37. nec judicio n. 38. præstare tamen ingenio. n. 39. Voluptuosi delectantur studiis. n. 40. 41. 42. Qualis sit literatura voluptuosorum. n. 43. 44. Voluptuosi sunt pigri & ad otium proclives. n. 45. temerarii garruli, n. 46. Prodigi Ucalegontes. n. 48. seruiles adulatores, n. 48. impatientes, pavidi, n. 49. iracundi mollanimes, n. 50. Lenones & histriones. n. 51.

I.

VOluptatis vocabulum variè sumitur, 1. figuratè pro *tranquillâ mentis delectatione* seu ipso Amore rationali, sicut vulgo principia Epicuri ab eius asseclis explicantur. 2. pro *oblectatione irrationali in genere*, ita ut delectatio ambitiosorum & avarorum sub eâ comprehendatur. 3. pro delectatione irrationali, ambitioni & avaritiæ oppositâ, sed *delectationem irrationalem intellectus imaginativi* complectente. 4. pro delectatione irrationali *omnium sensuum externorum corporis*, Visus nimirum, auditus, olfactus, gustus & tactus. 5. Pro *Voluptate gustus & tactus*.

2. Huius loci propria est *quinta* significatio, certa tamen ratione etiam *tertia* & *quarta*.

Itaque Voluptas nil aliud est, quàm *affectus quietem suam in perpetua ac variabili oblectatione intellectus & sensuum externorum, gustus inprimis & tactus venerei frustra quærens, ad eamque obtinendam ad conjunctionem cum ejus farinæ hominibus adspirans.*

3. Quoties hactenus Voluptatis mentionem fecimus, semper vitium ad amorem irrationalem referendum, ab ambitione verò ac avaritia distinctum intellexímus, unde *prima* & *secunda* significatio huc non quadrat, sed *tertia*, in sua latitudine quartam & quintam, tanquam contractiores sub se continens; Maxime vero *quinta* significatio ad quam Voluptas in quarto & quinto significatu præcipue respicit.

4. Quod voluptas est *Affectus*, id ei cum amore rationali & irrationali commune est. Quod *tranquillitatem suam in perpetua variatione frustra quærit, ideoque coniunctionem cum sui similibus intendit*, id æque etiam usu venit in ambitione atque avaritia, & ut jam supra a) monuimus, in quacunque animi inquietudine & amore irrationali deprehenditur.

5. *Omnes voluptuosi tranquillitatem quærunt, eique studiosè inhiant.* Qui *voluptatis causa studiis incumbunt*, tranquillitatem suam se tum assecutos opinantur, si Bibliothecam aliquam perreptassent, vel in Scientiam aliquam penetrassent, certè si in omni scibili justam notitiam sibi comparassent. Qui in *oblectatione sensuum* tranquillita-

a) vid. c. 1. §. 34. & 38.

litatem quærunt, quietem nescio quam se adeptos putant, si per aliquot saltem annos sensus suos exquisitissima voluptate pascant, vel fœminæ cuiusdam amorem consecuti sint, vel ad opes atque honores contendunt, uti vitam, ut ipsis quidem videtur, quietam atque tranquillam, i. e. luxuriosam ac desidiosam agant.

6. *Omnes voluptuosi tranquillitatem suam ex vicissitudine expectant.* Hinc vulgatum illud: *Varietas delectat.* Qui *voluptatem studiis suis pro scopo proposuerunt*, impense lætantur, quando in *Actis eruditorum Ephemeridibusque* alia aliaque, subinde in omnibus facultatibus reperiunt, quando nova subinde excogitant, & uno nondum finito, aliud priori neglecto incipiunt. Qui *sensus externos delectant*, quietem suam expectant modo in delectatione visus, modo auditus, &c. modo in aspectu Comœdiæ, modo in aspectu picturæ, modo apud pugiles, modo apud histriones, modo apud Pollicinellum, modo apud bestiã exoticam, &c. Et mediocrem fœminæ amorem adepti, mox aliam ambiunt: Linguam, denique infinitâ cibi & potus mutatione titillare student. &c.

7. *Voluptuosi perpetuo conjunctionem cum sui similibus anhelant.* Non datur animal magis sociale, quàm homo voluptati deditus, nec quisquam magis in defectu sodalium, de otioso tempore conqueritur, quam voluptuosus; sed nemini se lubentius associat, quam sui similibus. Qui *voluptatem ex studiis quærunt*, conventi-

bus eruditorum sæpius interesse conantur, ubi varii dantur discursus. Maiori cum voluptate student apud alios, quam cum soli sunt. Et si omnino soli studiis affixi sunt, id tamen agunt, vel ut tempus fallant, vel ut habeant, quod in congressibus amicorum ipsi proponant, adeoque maximam temporis partem deambulando consumunt. *Alii* integros dies transigunt quærendis ejusdem farinæ sociis in Comœdiis, Palæstra, apud Aleatores, &c. præcipue vero in cauponis, & ubi homines diversi sexus offeruntur.

8. Imo statuo, etsi homo sensus suos & intellectum diversimode, ac in creaturis cum inanimatis, tùm animatis oblectare queat; *Voluptuosos tamen, tanquam voluptuosos voluptatem nullam percipere, nisi apud homines, & ab hominibo profectam.* Ita qui studia ex voluptate metiuntur voluptatē nullam sentiunt in Bibliothecis abditi, sed in colloquiis eruditorum; *Alii* plus delectantur aspectu scenæ, quam picturarum, magisque adhuc utriusque, quàm prati viridis vel horti, libentius audiunt concentum vocalem, quam instrumentalem, utrumque certe præferunt cantillantibus philomelis. Pluris æstimant odores consuetos inter hos quibuscum conversantur, quosque suspiciunt. Eligunt sapores quales frequentantur à convivis, & si soli cœnare cogantur, cibi omnes ipsis videntur insipidi: Delectationem veneream plus capiunt è voluptate alterius personæ voluptuosæ, quam è propria,

pria, adeoque à mutis, quæ vocant, peccatis naturaliter quasi abhorrent, nisi à pravis sodalitiis eò seducantur.

9. *Frustra* verò *Voluptuosi quietem suam in ista variatione ac unitione quærunt.* Quies unica est, & in centro posita. Ergo in peripheriâ & in *variatione* nil esse potest, nisi *Inquietudo.*

10. Et *infinita* quidem *inquietudo.* Variatio enim infinita est, unde oculus non satiatur visu, nec auris auditu. Quis tandem perleget tot librorum myriades? novi quotidie prodeunt. Quis novas inventiones omnes excogitabit? Novæ quotidie exhibentur comœdiæ, novæ picturarum inventiones, novi hymni, nova odoramenta & suffimenta, nova errhina, nova potus genera, novæ ciborum præparationes, novæ artes venereæ, novæ illecebræ personarum diversi sexus.

11. Nec voluptuosi in *finita variatione* voluptatem & quietem ullam reperire possunt, sed infinitæ huic inquietudini sese permitere coguntur. Omnis delectatio sensibilis continuata naturaliter gignit *impotentiam*, si eadem oblectatio continuatur, vel *fastidium*, si eadem re oblectamur. Qui studiis semper intenti sunt, corrumpunt ingenium, qui semper vident, vel audiunt, &c. perdunt visum, auditum, olfactum, gustum, tactum. Fastidimus tandem libros exquisitissimæ subtilitatis, comœdias elegantissimas, dulcissimos concentus, suavissimum odorem, cibos delicatissimos, formosis-

simas mulieres, eaque quotidiano usu vilescunt, quando his continue oblectamur.

12. Deinde *hæc vicissitudo non semper est in hominis potestate*, sed partim ob vires naturales debilitatas, partim ob defectum occasionis *multa cum molestia ac inquietudine* necessario conjuncta est. *Qui ex literarum studiis voluptatem quærunt*, non semper habent occasionem novos libros parandi, vel obtinendi conversationem, qualem optant. *Alii* valde indignantur, si non adsint histriones, compotatores vel colluſores, vel mulierculæ, quibus oblectentur. Major adhuc est indignatio, si *ob immoderatum usum* cibi, potus, veneris, voluptuosi, morbo contracto impediantur, quo minus voluptatem exerceant, præsertim si sciant hilares & exoptatos sodales convenisse, eorumque lusibus interesse nequeant.

13. Denique *voluptuosi ex multis rebus molestiam ac dolorem capiunt, quibus alii non moventur*, si videlicet vi aut paupertate voluptati indulgere prohibeantur; Si jacturam faciant librorum & Locorum communium, MSCtorum omnium, si vivere cogantur in fumosa ædicula, humi jacere, audire asinos vel agasones, simeta olfacere, pane vesci Westphalico, nec meliori fruantur consortio, quam lictorum.

14. Differt autem voluptas ab ambitione & ab avaritiâ, quod *quietem suam in oblectatione in-*

intellectus vel externorum sensuum, maxime gustus & tactus venerei quærit. Ac de gustu quidem & tactu venereo nemo est qui dubitet, quin his ipsis ambitio atque avaritia à voluptate secernantur; Sed hoc videtur paradoxum ac inusitatum, quod *oblectatio intellectus per studia & meditationes ad voluptatem refertur*, cum ea potius amori rationali, vel certe ambitioni commodius accensenda videatur. Necesse igitur est ut *Differentiam specificam* voluptatis paulo accuratius consideremus. Incipiamus autem secundum regulas methodi à facilioribus.

15. *Qui cibo & potu, item venere voluptatem cient*, ab omnibus vocantur *voluptuosi*, certe in his rebus potissima pars essentiæ voluptatis consistit, unde cæteræ eius partes fluunt. Utrobique homo ruit in titillationem sensuum gustus & tactus, eique se totum mancipat, reclamante quantumvis intellectu, omnia *quæ sensus titillant, bona non esse*, sed pernicioſa, tanquam à motu nimis sensibili profecta.

16. *Cibus & potus insipidus* sine dubio longe saluberrimus est, cum nec nauseam creet, nec ad usum immodicum invitet. Homo tamen *data opera* eundem *contemnit*, & cibo potuique vel *dulci*, vel *acido*, acrique ac delicato inhiat, qui sine intermissione sumpti, nil præter *nauseam* creare, & ad *immodicum usum* excitare queunt.

17. Stomachus hominis ita formatus est, ut

uniformi cibo ac potu satiari queat, æque ut cætera animalia. A propria autem irrationalitate instigatur, ut esculentorum & potulentorum *multiplicatione* appetitum suum ad excessum provocet.

18. Artificiosa hæc cibi & potus præparatio, & multiplicatio hominem assuefaciunt, ut cum natura paucis sit contenta, *nullum in edendo ac bibendo modum servet*, utque nauseæ alias inevitabili occurrat, *novas* subinde procuret *inventiones* & *multiplicationes exemplis aliorum* similiter animatorum, & variandi consuetudine magis magisque irritatus.

19. Cæterum quoad voluptatem cum *generandi facultate* conjunctam, ratio equidem intelligit, cogitationes hanc voluptatem in momento tanquam summum bonum repræsentantes, falsas, & à tranquillis rationis cogitationibus, actu venereo peracto, longe distinctas esse. Sed *non æque scit remedium*, cum se gubernare nequeat, sed ab affectibus voluntatis apud voluptuosos *violenter abripiatur*, ut hanc delectationem bonam esse existimet.

20. Nihilominus homo eius rei certitudinem facile potest deprehendere, modo seipsum observare velit, videlicet *hunc sensum* ejusque causam *cibo potuque nimis sapidis* & sæpius mutatis, *item conversatione* cum voluptuosis eorumque *exemplis* ac irritamentis *magis magisque roberari*, adeoque sibi ipsi impetum hunc venereum magnam partem debere. Ac

si

si in victu modum servaret, hunc impetum notabiliter superare posse. Unde *voluptas venerea* hactenus *è voluptate gustus suos ducit natales.*

21. Etsi igitur omnes homines appetitum cibi & potus delicati, atque libidinis in se deprehendunt; Quibusdam tamen hoc præ cœteris peculiare est, ut *quæcunque delectamenta cum hâc commutare cupiant*, adeoque in ea tranquillitatem suam quærant, Aliis contrarium tenentibus. Et hi sunt voluptuosi.

22. Porro ex hâc quam diximus conjunctione victus delicati cum appetitu venereo sponte intelligitur *voluptuosos in utroque conjunctim falsam suam tranquillitatem quærere*, adeoq; alterum ab altero ægre separari, nec voluptuosos in duo genera posse dispesci, aliis in cibo & potu sive in crapula & commessationibus aliis vero in libidine ac scortatione tranquillitatem suam quærentibus.

23. Fateor equidem voluptuosos *qui quotidianis indulgent comessationibus & compotationibus*, *parum honoris habere sexui fœmineo*, eosque ob quotidianas crapulas nimis *impotentes*, *ac ineptos* esse, quam ut magnos amores expediant. Inde tamen non sequitur, ebriosos oblectationem suam non quærere in scortatione; Sed quemadmodum eorum gula atque vinolentia quotidiano usu magis facta est bestialis, ita *eorum* etiam *libido fit talis*, ut neglecta erga mulieres veneratione ac honorificis am-

bagibus, bestialem suum ardorem explere cupientes recta in lupanaria ruant. Ac si omnino in hujusmodi hominibus una cum crapula eorum *verum aliquod sexus muliebris fastidium* esset conjunctum, id tamen non à voluptate, sed ab *avaritia* voluptati mixtâ dependeret, id quod suo loco clarius ostendemus.

24. Ex adverso deprehendi multos dari voluptuarios, qui *id sedulo agunt*, *vt vel castissimas mulierculas* seducant, omniumque favorem magna civilitate ac versutia ambire didicerunt, mulieribus magna veneratione inserviunt, quibusque multæ intricatæ actiones occultæ ac prohibitæ voluptatis negotium facessunt, dumque his occupantur, *vix unquam inebriantur*, *& ab aliorum belluinis comessationibus abhorrent*, horumque moribus quam maxime offenduntur. Inde tamen non sequitur, quod oblectationem suam non inveniant in cibo ac potu. Nam hæc vivendi consuetudo non pendet ex voluptate, sed *ex ambitione* cum eorum voluptate in largâ dosi permista. Delicatum cibum & potum æque amant, ac priores illi; Sed *non* vorant & potant *in tanta copia*, nec tam aperte & impudenter, ut illi, qui ob defectum ambitionis brutalitatem suam non dissimulant. Hinc quoque eorum ambitio rebus alia nomina imponit: Non vorant, sed *convivantur*, non potant, sed parum & *decore inebriantur*, non scortantur, sed *mulierculas officiose ambiunt*, *atque demulcent*. Philosophus ve-

vero parum curat stylum aulicum, sed in rerum naturam penitus introspicit, quid sint, non quomodo vocentur.

25. Iam licet in oblectatione gustus, & sensu venereo natura voluptatis maxime consistat; tamen hæ duæ oblectationes *reliquorum etiam sensuum delectationes pedisequas habent*, quatenus nimirum ad illas tanquam ad centrũ suum diriguntur, quo respectu etiam nomen delectationis sensualis sortitæ sunt.

26. Ita voluptarii *visum* suum oblectant Comoediis, quoniam ibi aliquid vident, quo alios in symposiis ad risum provocent, quia gestibus venereis ibi propositis lascivia eorum provocatur, quia ibi plerumque in faceta sodalitia vel diversi sexus homines incidunt, & sæpe inter spectatores plures veræ comœdiæ luduntur, quam in theatro. Visum suum oblectant *pictura ac elegantia ciborum & potus, forma mulierum*, aspectu rerum castis oculis prohibitarum, intuitu *vestium affabre coloratarum*, supellectilis, &c. quatenus ista voluptatem gustus & scortationis magis reddunt delicatam atque acceptam. *Ambitiosis* ac *Avaris* è diverso visum suum gladio evaginato, purpurâ regia, numis elegantibus, equis, canibus, iumentis &c. oblectantibus, quæ tamen per se voluptatis nomine non veniunt. In Comoedia enim aliquis recte dicitur se delectasse, non in equili, vel harâ.

27. Pari ratione Voluptarii *auditum* suum co-

comœdiis oblectant, iisdem fere ex causis quas in visu attulimus, libenter audiunt *cantilenas amatorias*, ac istiusmodi instrumenta musica, quæ cor suum vel ad mollem voluptatem, vel gaudium in symposiis accendunt, vel crapulam ac ebtietatem conciliant. Sed exhorrescunt explosis tormentis bellicis, & clangentibus tubis ac tympanis, tanquam signis belli, ad quorum sonitum *ambitiosi*, ut super laude sibi impertitâ exultant. *Avari* autem delectantur tinnitu thalerorum suorum, aut mugitu boum vel latratu canum audito.

28. Voluptarii mire afficiuntur *odore assatarum* aut laute præparatarum *carnium*, ambra & *pastillis* frequenter utuntur, ac *pulvere odorato* capillos conspergunt, ut mulierculis placeant; *Ambitiosi* non abhorrent fumum pyrii pulveris; *Avari* denique capiuntur odore nummorum, vel è cloaca exquirendorum, sicut ex fimetis pecudum suorum insignem delectationem capiunt.

29. Antequam autem progrediamur ad delectationem Intellectus hominum voluptuosorum, convenientissimum erit, ut aliquid etiam de eorum *Prodigalitate* præmittamus, tanquam ex ebriosa, ac voraci eorum lascivia immediate proveniente, eâque *ab amore rationali*, secundum ductum tabulæ capiti 7. subjunctæ *maxime distincta*. *Prodigalitas* hîc est *impensarum in seipsum collatarum consumptio*. Natura *paucis* est contenta: Sufficit necessitati hominis aqua, pa-

panis, imo radices, vestis integra vel è vili panno consuta, mediocre & mundum tugurioIum, è limo quantumuis extructum, sub quo adversus aeris injuriam & Solis ardorem tutus lateat, quibus rebus instructus non habet, cur Deum accuset, quasi ipsi vitæ necessitatem non procuret. Et quis hisce rebus egebit, dummodo sanus sit & laborare velit, etsi uxoratus sit & liberis onustus? Ita *reliqua omnia ei non sunt necessaria.* Adeoque homo paucis contentus expensas pro cerevisia, vino, carne, copia vestium, supellectile pretiosa, ædificiis pomposis & commodis, aliisque rebus superfluis, quas homines variis appellationibus, videlicet, elegantiarum, supellectilis, Bibliothecarum, technophylaciorum &c. insignire solent, lucratur.

30. Ex adverso *Voluptuosi*, commoditate pro ratione Status & facultatum sibi impertita non contenti, nummos præter necessitatem dilapidant, & *innumera ad abundantiam, & ad emollitionem suam, & consequenter ad interitum suum facientia sibi comparant:* Varia nimirum genera vini delicati ac cerevisiæ in cella, millena edulia & condimenta in cella penuria, tot artificiosa vitra & pocula, tot & tam varias pateras & orbes &c. in culina, tot fasciculos chartarum lusoriarum, tot libras Tabaci, tot sexagenas tubulorum pro fumo tabaci, tantum vestimentorum numerum, tot odoramenta, tot picturas pretiosas, tantam varietatem supellectilis, & millena

lena alia, quæ enumerare longum foret, ad quæ singula comparanda, evidenter sua vorandi, potandi & mulieribus utendi libidine incitantur.

31. Ac hic iterum quidem fateor, *Parsimoniam* amoris rationalis pro Statu hominum in quo vivunt, *non tam stricte his rebus posse alligari*, quæ *summæ* hominis *necessitati* inserviunt; sed hominem etiam virtuti deditum, *opulentum variarum rerum apparatum* posse habere. Sed magna est differentia inter *apparatum virtuosi*, & *apparatum voluptuosi*. Apparatus *virtuosi* nunquam consistit in eiusmodi rebus, quarum usus præcipuus, vel unicus in emollitione ac voluptate fundatus est, sed quibus etiam principaliter ad bonum scopum uti possumus: Hoc apparatu utitur non pro se, sed ut aliis inde benefaciat, vel ut easdem vendat, & in pecuniam conuertat, qua aliis commodet. Animum suum iis non mancipat, sed his utitur ob differentiam hominum inter homines semel introductam, & ut pecunia sua inter eos qui in civili conversatione victum laborando quærunt, distribuatur, nec uno in loco delitescat, vel in otiosos mendicos impendatur.

32. *Voluptuosus* autem *apparatum* habet earum maxime rerum, quæ eum emolliunt, & ad voluptatem irritant, his pro seipso præcipue utitur, eisque toto corde inhæret, ita ut se infelicissimum existimet, si his orbatus sit, & si quid inde aliis impertiat, id vel in eorum detrimentum

tum vergit, vel hoc maximam partem sunt indigni.

33. *Prodigalitas* itaque Parsimoniæ opposita est *vitium, quo homo res multas inutiles in seipsum impendit, eaque procurat, quæ sanitati incommodant, & mollitiem excitant, reliqua vero in homines indignos, & ad verum eorum detrimentum collocat.*

34. *Teneritas* (Mollities) cuius sæpius mentionem fecimus, nos monet, ut in ea considerandæ parumper consistamus. Vitiis eam annumeramus, & voluptati quidem; Sed videtur usus vulgaris nobis contradicere. Nam si quid laudare volunt, id vulgo appellant tenerum ac delicatum. Quis enim fœminam teneram & delicatam non præferat mulieri membris & cute rudi & aspera. Nobiles diversam plane naturam habent à rudibus & plebejis. Plantas enim pedum habent molliores, nec in via lapidibus strata usque ad proximam domum pedibus ire valent, sed curru uti coguntur. Dorsum habent tenerum, nec possunt dormire, si unicum saltem pisum, tribus sub pulvinaribus latens eis incommodet. Manus habent teneriores, nec aerem, multo minus aquam frigidam ferunt. Nasos habent magis teneros, & in morbum incidere eos necesse foret, si loco pastillorum, ingrati quid olfacerent. Porro magis tenerum habent Gustum & Stomachum, nec crassum cibum vel potum possunt concoquere. Cum ex adver-

so

so homo rudis ac agrestis ob callum pedibus obductum, per totos dies nudipes queat incedere, ob dorsum obduratum humi jacens suaviter dormiat, ob asperas manus in aere & aqua frigida strenue laborare, ob rusticum cerebrum & immundum nasum nullum suavem odorem pati, & ob simplicem gustum vilissimum cibum ac potum concoquere queat. Unde sequi videtur, quod *Teneritas* & *Mollities non sit vitium, sed insignis excellentia & prærogativa vel mulierum vel nobilium, præsertim aulicorum* præ vulgo.

35. Sed Philosophus non judicat secundum elegantiam aulicam, & communia præjudicia. Vitia vulgo habent nomina virtutum, & imperfectiones ab omnibus qui iisdem laborant, palliantur, imo pro singulari quodam bono venditantur. Nimis verum est teneros mollitiem suam parum dissimulare, sed tanquam singularem naturæ prorogativam coram aliis prædicare. Sed hoc ipso magis miseri sunt: Nam seipsos produnt, quod ipsi propriam miseriam non videant, & voluptuosam consuetudinem pro natura habeant, cum DEUS sæpe pro amore suo per adversam fortunam eos doceat ambulare, dormire, laborare, edere & bibere, &c. & quæ sit vera eorum natura ipsis significet. Nolo iam adducere vulgatum proverbium. Rudia durant. Certe salubria esse solent. *Teneritas* vel est *debilitas* qvædam membrorum, vel *dispositio ad morbum*, & consequenter magna naturæ

turæ humanæ imperfectio. *Teneritatem vel mollitiem affectare* nil aliud est, quam voluptatem suam prodere ac significare, quod cor voluptati valde adhæreat, & jam in insigni gradu ea sit corruptum.

36. Jam *docta* etiam *Voluptas* illustranda est. Id commodissime fiet, si ostendemus, *quid Voluptas de Intellectu humano eiusque qualitate participet.* Quilibet homo licet omnium stupidissimus sit, intellectum suum attenta meditatione iuvare potest, eumque quasi expolire. Si homo forti affectu in rem aliquam propendet, eam attenta cogitatione persequitur. Cogitationes humanæ versantur vel circa præterita, vel præsentia, vel futura. *Præterita & absentia* cogitationes sibi fere repræsentant eo ordine quo fuerunt, cum essent præsentia. Hoc vocatur *Memoria. Præsentia* cogitationes plerunque combinant, eorumque justam differentiam, causasque originis & operationis suæ considerant. Idque appellatur *Judicium. Futura* maxime cogitantur prout inter se connexa sunt, & quomodo alia ex aliis sequentur, ubi similitudo & harmonia rerum expenditur. Hoc dicitur *Ingenium*, & cogitatio inde enata, *Inventio*, *Poëma*, &c.

37. *Voluptuosus* parum cogitat de *præteritis*, quomodo fuerint ordinata, sed quam bene sapuerint, &c. Et ad hanc cogitationem non admodum opus est *memoria*, quia fortis titillatio sine hac cerebro humano se tam tenaciter imprimit, vt oblivionis potius quam memoriæ

ratio hic habenda sit, Præterea frequens harum rerum iteratio, magis magisque eas intellectui imprimit. Denique natura eorum non est tam varia, ut magna hîc opus sit memoria, sed totum negotium paucis circunstantiis, v. g. dulci, acido, delicato, acri, &c. & in fundamento, crapulâ, potatione, & re venerea absolvitur; Imo in Voluptate ordo aliquis plane non requiritur, sed quo inordinatius fercula, & potiones &c. miscentur, eo maiorem voluptatem voluptuosi sibi habere videntur.

38. *Voluptuosus* non admodum cogitat *præsentia*, quemadmodum ea accurate discernat, vel eorum originem & effectus exquirat. Hinc delectum rerum nullum habet, dummodo stomachum repleat, & voluptatem expleat. Similis est porco glandes humi jacentes devoranti, nec curanti, an ex terra natæ sint, an vero ab arbore deciderint. Imo solam respicit præsentem voluptatem, nec multum curat, quem habitura sit eventum, adeo ut ne recitare quidem patiatur inevitabiles & noxios effectus voluptatis suæ. Ita vero *Judicium* suum *parum excolit*. Quemadmodum etiam Impatientiâ suâ impeditur, ne eius tam memoria, quam judicium admodum crescat; ita stulto amore voluptatis suæ impellitur, ut malos eius effectus (voluptatem plerunque citius quam ambitionem & avaritiam insequentes, adeoque magis palpabiles) coram seipso abscondat,

dat, varias ineptas rationes ac prætextus conquirat, communi etiam intellectui plane contrarias, adeoque judicium suum studiò corrumpat.

39. *Voluptuosus* tamen semper cogitat *futura*. Impatiens desiderium eius eum impellit, ut res præsentes quasi deglutiat, semper plures quærat. Voluptuosus omnium maxime, idoneus est ad arces in aëre quasi ædificandas, & seipsum vanis de rebus futuris cogitationibus pascendum. Fortis impressio rerum præsenter perceptarum eum inflammat in naturali earum reminiscentia, ad easdem denuo percipiendas. Et quia impossibile est, ut semper eas revera percipiat, interim sibi repræsentat circumstantias futuræ conversationis, qualem optaret, in eaque speculatione res jucundas millenas combinat. Id cum sæpius, nonnunquam etiam in ipsa conversatione longius durante fiat, huiusmodi homines ista cogitatione *Ingenium suum potissimum* acuunt, ac eo magis in variis iisq; elegantibus inventionibus, fabulis, poematibus &c. se idoneos reddunt, quo magis repetita hæc cogitatio apud voluptuosos efficit, ut revera maiorem voluptatem ex ingeniosa sua, licet vanâ repræsentatione, quam ex ipsa rerum fruitione capiant.

40. Jam quod *Eruditionem* sive notitiam variarum rerum incognitarum ex aliorum eruditorum libris vel discursibus comparatam attinet, certum est, quod *Inclinatio ad studia* in

genere neque ad voluptatem peculiariter, neque ad Ambitionem, neque ad Avaritiam, sed ad singulas universim pertineat, vel certa ratione referri queat. Dubium tamen non est, quin penes *Voluptuosos* æque sit *desiderium discendi*, quam penes Ambitiosos & Avaros, licet aliter comparatum. Omnis enim homo res incognitas scire desiderat. At studendo incognita discuntur.

41. Ac licet *voluptuosi* pueri & *Studiosi* tam in scholis quam in Academiis *parum discendo proficiant*, ac frequentes de iis passim audiantur querelæ, bene tamen notandum est, ipsos hic *doctores magnam partem esse in culpâ*, dum pueros vel auditores ediscendis rebus quas non intelligunt (in quibus tamen non consistit eruditio) torquent, eoque ut & inhumanitate sua, & interdum inimicitia apud ipsos odium erga studia excitant, quod non accidisset, si cum humanitate res ageretur, nec ludi literarii in carnificinas converterentur, & loco ediscendorum, & odiosorum verborum, (ad quæ Impatientia voluptuosorum non quadrat) eleganti ac amica conversatione realia tractarentur.

42. Deinde etsi *voluptuosi*, cum ob impatientiam & negligentiam *ægre certo ordine se alligari patiantur*, omnium maxime proclives sint ad scholarum & collegiorum frequentationem *negligendam*, vel (si in docentium numero sunt) ad collegia non absolvenda & sæpius pro-

propter pocula intermittenda; Inde tamen non sequitur, voluptuosos *non posse habere discendi desiderium.* Studia enim certis & ordinatis horis non sunt alligata.

43. *Voluptuosorum* ergo *Studium* ita se habet, vt non multum ingeniosa & intricata speculatione, aut subtili abstractione occupetur, sed in eiusmodi res prolabatur, quæ *externis sensibus facile comprehenduntur*; ut difficulter rem aliquam ordine & ex fundamento scrutentur, sed id *obiter saltem* agant, & tractandis magis gaudeant conclusionibus, quam rerum fundamentis; ut *frequenter variet*, nec facile uni materiæ constanter infixum sit, ac rem vix inceptam protinus deserat, ut magis *delectetur conversatione*, libera tamen ea atque jucunda, *cum eruditis*, quam legendis libris; ut nihilominus *in libros cadat*, si congressibus eruditis carere cogitur, ne *de longo tempore* queri voluptuoso sit necesse; ut hunc tantum scopum sibi præfixum habeant, quo *voluptati suæ satisfaciant, & in conversatione sociis se acceptos reddant*, non vero ut aliis literatura sua inserviant, præsertim si hæc officia cum labore sint conjuncta. Hinc non facile voluptuosi assuescunt diuturnæ sessioni, vel profundis meditationibus vel prolixis scriptis vel institutioni juventutis; sed si omnino aliquid tentabunt, idonei erunt *dirigendis ludis, commœdiis, &c. pangendis carminibus, præsertim amatoriis, panegyricis adulatoriis &c. elaborandis.*

44. Consequitur inde, *voluptuosos non necessario delectari literarum studiis*, sed continuis etiam comessationibus ac compotationibus &c. totos posse esse intentos, & à studiis doctaque conversatione abhorrere; Sequitur tamen etiam, *delectationem ex studiis haustam voluptati non ita repugnare*, sed *delectationi quæ è cibo & potu capitur, posse esse subordinatam*, adeoque eos qui delectationis causa, modo §. præced. descripto, studia tractant, annumerandos esse his, qui plurimum apud se voluptatis sentiunt, vel sentire saltem deberent.

45. Iam *reliquos* etiam considerabimus *affectus secundarios*, quos supra cap. 7. voluptati tribuimus. Quorum præcipuus, ac filia quasi voluptatis est *Pigritia* & *Otium*. Estque *vitium hominum impellens, ut laborem omnem, qui humano generi utilis esse posset, abhorreat, & vel dormiendo, vel cum non semper locus sit comessationi ac scortationi, inani atque inutili sensuum delectatione tempus ac otium consumat*. *Fluit* autem Pigritia *necessario ex voluptate*, quia naturale est, stomacho cibis calidis vel variis repleto, item spiritibus per actum venereum amissis plus somni, quam ordinarie fit, requiri, certe somnolentiam & segnitiem inde creari. Iam manifestum est, hominem adeo defatigatum ac debilitatum, ut impotens factus sit qui corporis voluptatibus fruatur, multo adhuc magis defatigatum esse debere ad perficiendas actiones humano generi utiles, ad quas alacritas quædam

cum

cum corporis tum animæ requiritur, in quocunque etiam ſtatu ad rationem conformato vivamus. Deinde manifeſtum etiam eſt nullos mortalium plus conqueri de otioſo tempore, quam voluptuoſos. Hi cum ad tempus rebus utilibus conſumendum inidonei ſint, magisque adhuc negotia ambitioſorum & avarorum, tanquam magis laborioſa abhorreant, nil reliquum habent, niſi ut tempus conſumant vanis & inutilibus actionibus, ſenſus non æque ſenſibiliter oblectantibus ac crapula, & quæ ſunt eiusmodi, ſed oblectantibus tamen, dum cogitationes a moleſtia, quam ex otio percipiunt, ad res æque vanas ac inutiles abducunt, ut in his quietem ſuam quærant, quales ſunt ludi, ſaltationes, deambulationes, ioci ſcurriles, &c. Atq; hoc appellatur Otium, de quo plura inferius.

46. Præterea Voluptuoſi etiam laborant *præcipitanti Garrulitate.* Præcipitans Garrulitas eſt *vitium hominem impellens ad omnia quæ ipſe cognovit tam de ſeipſo quam de aliis, ſine reſpectu temporis, occaſionis ac loci, item an ſibi vel aliis id proſit an noceat, effutienda.* Ita vero voluptuoſi plane *non ſunt taciturni*, ſed nimis aperti, ac cor ſuum quaſi geruntin ore, omnibus enim, quæcunque ſciunt, uruntur quaſi vereque anguntur, donec his ſeſe garriendo liberaverunt. Hoc quotidiana teſtatur Experientia, & *conſideratio naturæ voluptatis* docet, aliter ipſos agere non poſſe. Inter epulas & pocula nemo alteri quicquam vitio vertit, ibique etiam nondum ebrii

omnia promiscue, nullaque adhibita cautela effutire solent, posthabita honestate & prudentia. Libido hominem affuefacit, ut primum in obscuris locis clanculum de obscœnis rebus loquatur, deinde cum videt plures adesse obscœnos sibi similes, cum his velut certans, nec quicquam celans, impudica sua facta palam enunciet. Vinum præterea & delicati cibi vaporibus suis cerebrum hominis replent, ejusque judicium & circumspectionem debilitant, dumque ebrius est eorum usu hominem privant. Taceo quod cor hominis dum amore meretricum flagrat, earum blandimentis liquescat ut inde affuescat nil coram amasia celare. Id vero in consuetudinem quandam vertitur. Et quia voluptuosus cum sui similibus plerunque conversatur, & vitiosus quisque cogitat, alios sibi similes fore, in conversatione etiam cum aliis præcipitanti sua garrulitate prorumpit. Ac quantumvis errorem suum animadvertat, tamen ob consuetudinem quæ in alteram eius naturam degeneravit, se non potest emendare. Deinde cum ipse cum quibuscunque hominibus voluptuosam amicitam inire paratus sit, ac ullius vel corpus vel facultates lædere abhorreat, cogitat aliorum eandem esse mentem, adeoque damnum non ponderat, quod sibi è garrulitate sua possit enasci. Et si omnino hoc animadvertat, errorem tamen non sibi, sed aliorum malitiæ imputat, eosque miratur tam perversos esse posse, & ad omnia verba tam attenten-

tentos, ut inde tanquam araneæ venenum exsugant. Iam qui propriam turpitudinem celare nequit, propriumque sibi malum imprudentia sua promovet, quomodo is esset idoneus ad amici sui turpitudinem celandam, eiusque incomodum necessaria taciturnitate præcavendum?

47. Deinde Voluptuosi dediti sunt *turpi Prodigalitati*. Turpis prodigalitas *beneficæ liberalitati* amoris rationalis opposita, a Prodigalitate Parsimoniæ opposita, de qua supra n. 33. egimus, ita differt, ut hæc iis in rebus occupetur quæ voluptuosi in proprios usus impendunt, illa in his quæ in alios ac amicos suos collocant. Itaque turpis prodigalitas est *vitium, hominem impellens ut aliis hominibus voluptuosis, vel qui ejus voluptatem promovent, facultatibus suis prompte ac libenter commodet, eaque ipsis abunde offerat, ut iis ad propriam perniciem & incommodum in promovenda voluptate sua utantur.* Voluptuosus facultates suos in convivas & compotatores, lenones, meretrices, tibicines, histriones &c. confert, etiam si ipse e profusa pecunia voluptatem nullam expectare possit. Voluptuosus est credulus, ac sibi persuadet, quod omnes qui ei blandiuntur, ejusque voluptati inserviunt, bene sibi affecti sint, & quoniam eos tanquam pro sibi similibus æstimatos & commodum ejus procurantibus, amat, nummorumque custodia ei nimis laborioſa videtur, ipse etiam vere omnes creaturas quæ sunt infra hominem, ac

consequenter etiam pecuniam, minus amat, quam homines, non potest non eam dicto modo dilapidare.

48. Voluptosi ad *servilem Submissionem* inclinati sunt. Servilis submissio est *vitium voluptuosum hominem impellens, ut aliis tanquam mancipium aut canis blandiatur, & se eorum voluntati subiiciat, vt ejus voluptatem promoveant, vel saltem non impediant.* Voluptuosus blanditur diviti eique exquisitissimum honorem habet pro scypho vini vel delicato prandio. Quam caninis blandimentis utitur homo meretricem ambiens, vel mulierem ad libidinem persuasurus? Manifestum est autem vitium hoc ex voluptate promanare. Omnis homo, summum, ut ipsi videtur, bonum consequi quærit per ejusmodi media, quæ apta sunt ad illud promovendum, idque non impediunt. Jam ipsa natura & experientia docet, caninam istam submisionem obstare quidem magnis honoribus & opibus acquirendis, voluptati vero consequendæ prodesse. Ergo voluptuosos huic vitio quoque deditos esse oportet.

49. Homo voluptuosus est *impatiens* & *meticulosus*. Impatiens Meticulositas est *vitium, voluptuosos impellens, ut omnia ea quæ sensuali suæ delectationi parum adversa sunt, pro dolore magnoque malo habeant, ac de illis murmurent & conquerantur, mediaque ad ea avertenda idonea, metu, ne dolor per ea augeatur vel prolongetur, timentes ac trementes arripiant, vel plane repudient.* Ita voluptu-

luptuosus sit impatiens, si per varios casus cogitur humi dormire, aqua & pane contentus esse, pedes incedere cogitur &c. Ita voluptuosus meticulosus est, si ulcus sibi cultello aperiri, vel dentem extrahi cogitur. &c. Exclamat, quamprimum Medicum vel Chirurgum accedentem conspicit, & ad eius tactum exhorrescit. Hoc autem vitium etiam fluit ex voluptate. Omnis inusitatus motus & attrectatio corporis nostri nobis creat molestiam. Quæcunque voluptuosis accidunt, nisi sensus titillent & tenere tractent, ipsis sunt inusitata, cur ergo eis hæc non essent molesta & intolerabilia, & quid eos impediret ne obmurmurent & conquerantur, cum omnia quæcunque corde premunt enunciare consueuerint? Et cur non exhorrescant conspecto cultello Chirurgi, & cerebro suo doloribus ulceris repleto, qui nondum ægroti ejulant, duriuscule attrectati, & qui facile cogitare possunt, ulcere aperto in cerebro suo molliculo motum oriturum longe sensibiliorem eo, quem iam sentiunt.

50. Homo voluptuosus *Iracundus* est, sed *Misericors*. Iracunda commiseratio est *vitium, voluptuosos impellens, ut offensas & dolores incussos cito ad animum revocent, & media quærant ulciscendi, sed has cogitationes ac propositum mox remittant, cum ob defectum iræ, tum ob metum periculi, tum etiam ob bona verba & submissionem lædentis.* Sensibilitas & Iracundia voluptuosorum iisdem ex causis nascuntur quas circa Impatientiam

tiam n. præced. tradidimus. Ergo qui voluptuosos hîc ad molestiam provocat, hunc oderunt, & consequenter durante molestia & ira vindictam ei intendunt. Sed cor habent effœminatum, & vires eis desunt, ob voluptatem; ita vero ira eorum est impotens, & spiritus in primo fervore coarctati, mox rursus naturaliter disgregantur. Ita cessat Ira; Ita Timor oritur, ne ex oppositione lædentis maior adhuc creeetur molestia, & ipsi magis in delectatione sensuum turbentur. Vindictæ cupido hominem nec edere nec dormire patitur &c. id vero voluptuoso homini incommodum est, ut e. c. ob somnum semel sibi per alios turbatum, vel impeditum cibum, quotidie somno & cibo aliquid detrahere cogatur. Sic iram remittit. Imo etsi in primo fervore nec animus ipsi deesset nec facultas ulciscendi, adversarius autem verbis eum demulceret, imo fleret, voluptuosi ira cessat ac mutatur. Risus risum, & lacrimæ lacrimas provocant. Ergo cum voluptuosi multum aquæ in corpore suo habeant, necesse est aquam deprecantis aquam etiam voluptuosi provocare, & ignem iræ ejus extinguere.

51. Denique Voluptuosi proclives sunt ad *Officia lenonum & histrionum.* Hæc voluptuosa & turpis officiositas est *vitium voluptuosos impellens, ut aliis sui similibus actionibus suis ita inserviant, ut his præstitis officiis voluptas eorum promoveatur & augeatur, etsi ipsi qui hæc exhibent officia voluptate vicissim non fruantur.* Voluptuosus ho-

homo paratus est alteri servitia lenonia exhibere, ad exhausta pocula hymnos nescio quos ingeminare, eosque ludis ac cantilenis exhilarare &c. etsi nil lucri ei inde accedat. Voluptuosus optat sibi omnes esse similes, id ut fiat conatur quantum potest, eoque sibi persuadet alios sibi vicissim sic facturos, quo ejus voluptas ingens sumptura sit incrementum.

CAP. X.
DE
AMBITIONE, ET VITIIS EX EA ORIUNDIS.

SUMMARIUM.

Ambitionis Definitio. n. 1. In quibus cum aliis vitiis conveniat, & ab iis differat. n. 2. Ambitiosi quærunt tranquillitatem n. 3. in vicissitudine n. 4. & coniunctione cum hominibus similiter affectis, n. 5. 6. 7. sed frustra, n. 8. dum eo ipso in infinitam inquietudinem incidunt. n. 9. & vicissitudo, quam quærunt, infinita est, n. 10. ac ipsi in variationibus finitis nullam delectationem habent, n. 11. præterea ista vicissitudo raro in eorum est potestate n. 12. eaque moleste ferunt, quibus alii non afficiuntur. n. 13. Voluptuosus ab aliis vult magnifieri. n. 14. & ita quidem, ut alii se ad voluntatem eius attemperent n. 16. eamque existimationem præfert pecuniæ n. 15. Ambitiosus, ut talis, non quærit pecuniam. n. 17. Differentia inter existimationem, quam virtuosus & ambitiosus quærit. n. 18. Ambitiosus intendit honores externos n. 19. imprimis vero externam obedientiam. n. 20. Virtuosus quærit libertatem, Ambitiosus vero Imperium

rium. n. 21. Virtuosus Candorem desiderat, Ambitiosus ceremonias. n. 23. Dictum hoc: Oderint, dum metuant, aliam habet significationem in ore virtuosi, quam ambitiosi. n. 24. Ambitiosus sui existimationem ab aliis se consecuturum putat per propriam sui existimationem. n. 25. 26. item per facta prudentia. & audacia. n. 27. Ambitiosus excellet judicio. n. 28. non admodum Ingenio n. 29. nec Memoria n. 30. Qualis sit literatura Ambitiosorum? n. 31. 32. Contemnens Superbia Ambitiosi n. 33. uno verbo est Fastus intolerabilis n. 34. qui non facile in manifestum contemptum erumpit, n. 35. isque nec ciuilis est, nec agrestis. n. 36. Violenta Audacia ambitiosi n. 37. diuersa ratione impatiens est, quam voluptuosi n. 38. Iracunda vindictæ cupiditas ambitiosi oritur ex Superbia & Audacia, n. 39. & ab Iracundia voluptuosi insignitur discrepat. n. 40. Obstinata Reticentia ambitiosi n. 41. pendet ex eius Superbia, Audacia & Ira. n. 42. Affectata Magnificentia ambitiosi in quo consistat, n. 43. 44. item Stoica ejus Inedia & Insensibilitas, n. 45. Ejus Parcitas, n. 46. Ejus Inquies, n. 47. & ejus Officiositas audax & violenta n. 48.

I.

AMbitio est *Affectus tranquillitatem suam frustra quærens in* MAGNA ALIORUM DE SE EAQVE CONTINUA AC VARIABILI OPINIONE, *præsertim similiter affectorum, per existimationem propriam & susceptionem actionum partim callidarum, partim violentarum, & ad ea obtinenda cum aliis sui similibus se conjungere desiderans.*

2. Ambitio hoc cum aliis vitiis *commune* habet,

bet, quod *tranquillitatem suam in perpetua variatione frustra quærit, ideoque coniunctionem cum sui similibus affectat.* In eo autem à Voluptate & Avaritia *distingvitur*, quod tranquillitatem illam in *aliorum de se opinione*, eorumque *subjectione* quærit; item quod eam per *existimationem propriam*, & *molitionem actionum violentarum* conservare studet.

3. *Omnis ambitiosus quærit tranquillitatem*, ad eamque elaborat: Putat se quietum fore, hoc vel illo *officio* vel *potentia* consecutâ, si sibi contingat e *statu*, in quo vivit, emergere, & ad maiora ascendere: Vel ad officium aliquod adspirat, ea intentione, ut hoc consecutus *labore* levatus quietam vitam agere queat: Vel si in tantam dementiam prolaberetur, ut *totius mundi imperium* affectaret, persuasurus tamen sibi esset se hoc assecuto quietum fore, adeoque tranquillitatem suam in totius mundi imperio quæreret.

4. *Omnis ambitiosus tranquillitatem suam quærit in variatione. Labore* uno absoluto impossibile ei est ac intolerabile à labore vacare, nisi ad alium subinde laborem se accingat. Vel tantam plerumque ex variatione delectationem capit, ut unico labore sine interruptione absolvendo non contentus sit, sed plura simul aggrediatur, & quamprimum laborem unum ad finem perduxit, mox aliud quid ejus loco sibi proponat, prioribus laboribus nondum absolutis. Ita etiam se res habet cum *Potentia* & *Officiis*.

ciis. Si Custos est, vult fieri Diaconus, tum Archidiaconus, inde Pastor, ex Pastore Superintendens, mox Superintendens generalis, inde Generalissimus, ex eo summus Concionator aulicus, tum Papa &c. Si Scriba est, vult esse Secretarius, inde Secretarius intimus, post Consiliarius, mox Cancellarius, porro Consiliarius intimus, tum Primarius Principis Minister &c.

5. *Ambitiosus eo elaborat, ut perpetuo sui similes secum coniungat.* Ambitiosus non omnibus quidem interest conversationibus, ut *voluptuosus*, est idoneus cum solus est, tempus cogitationibus consumere, id tamen intendit, quemadmodum has cogitationes in conversatione cum aliis sui similibus ad usum transferat. *Collegia* studiose frequentat, *Principi* suo vel Patronis debitum præstat ministerium, exquirit conversationes nobilium., eruditorum & *celebrium virorum*, cætera vero maxime delectatur, si ei contingat esse ubi ei concessum est aliis *imperare*, & in consortio hominum, qui ei vicissim ministrant. Et ambitiosi æque ut voluptuosi magnæ miseriæ loco haberent, si per aliquot dies ab omni hominum sui similium consortio excluderentur.

6. Sed in hoc inter *Voluptuosum* & *Ambitiosum* magna intercedit differentia. *Voluptuosus* quia nimis officiosus est erga alios, magis intendit quemadmodum ipse cum aliis, quam alii cum ipso conjungantur, Contra *Ambitiosus*

ſus alios potius ſecum, quam ſe cum aliis coniungere quærit. Hoc eſt: Voluptuoſus facile ſe regi patitur ab aliis, ſequiturque potius quam præcedit. Contra Ambitioſus ſemper prætendit vt alii ipſum ſequantur ab eoque ſe regi patiantur, & licet cum præſtantioribus converſetur, iisque exquiſitiſſimum cultum exhibeat, tamen eo nititur, ut ſe ipſis neceſſarium quaſi faciat, ut ſe ipſo non carere poſſe putent, aut alia quadam via in ipſorum corda dominium uſurpet.

7. Porro quemadmodum *Voluptuoſi* moleſtiſſime ferunt, ſi cum *ambitioſis* converſari, ibique graves ac honeſtos mores induere, laborare, vel non niſi ſeria ac gravia audire coguntur. Ita *ambitioſis* intolerabile foret aliquot dies in hominum diſſolutorum & *voluptuoſorum* conſortio tranſigere.

8. *Fruſtra* vero *Ambitioſus in ejusmodi variatione & vnione tranquillitatem quærit.* Nam homines quibuscum converſari maxime gaudet, plerunque *non minus quam ipſe ſunt ambitioſi*, adeoque hi iisdem artibus dominium in cor ejus affectant, quibus ipſe eorum cordibus imperare ſtudet, vnde nil aliud quam *inquietudo* utrobique ſequi poteſt. Hoc quotidiana docet experientia. Ac conſiderari ſaltem proderit, quam ægre ſibi mutuo quotidie faciant *duo homines ambitioſi diverſi ſexus* ſeſe mutuo amantes, Zelotypia, amoris diſſimulatione, aliisque artibus, quibus alter alterius cordi im-

perare nititur; imo expendatur tantum, quantæ v. g. *in aula*, moleſtiæ concoquendæ ſint, ambitioſo ingenio non ſolum ab ejus patronis, quibus raro ſatisfacere poteſt, ſed qui in actionibus ejus ſemper quod culpent, inveniunt, verum etiam à Clientibus ſuis (nam in aula etiam famuli culinarii ſuos habent Clientes) qui cum alios vincant peritia, ſæpius optime ſciunt, patronos ſuos ipſis non poſſe carere, ideoque multa invitis patronis pro lubitu agunt.

9. Imo *Ambitioſus in ambitione ſua infinitam deprehendit inquietudinem.* Amantium quidem ira amoris redintegratio eſſe dicitur, ac *Zelotypia* atque æmulatio amorem alere, nec negandum eſt, ejusmodi ingenia facta iam reconciliatione, vel ideo quod præcedens eorum cruciatus præſenti ſatisfactione delinitus ſit, longe maiori gaudio affici, ambitioſotum item *gaudia* vicisſitudine augeri, cum a patronis ſuis ſi eorum opera indigent, rurſus demulcentur, vel ſi Clientibus ſuis, dum eos promoturi ſunt, vicisſim ægre facere poſſunt; Sed hæc eſt omnium maxima confuſio intellectus ambitioſorum, quod in *ſenſibili* iſta *viciſſitudine*, quæ nil aliud eſt, niſi *eſſentialis quædam pars inquietudinis*, *quietem* ſuam ſe inueniſſe putant, vel per eam ipſam inquietudinem ad tranquillitatem ſeſe tandem perventuros exiſtimant: Ambitioſi amantes uno die vicies ſibi mutuo reconciliantur, ſimul etiam rurſus vicies ſibi mutuo iraſcuntur. Et Patroni in aula blandimen-

menta clientibus suis cum eorum ope indigent, exhibita care remunerari volunt; imo clientes vicissim memori mente id reponunt, si patroni ipsis promotionem laboriosam reddiderunt; adeoque utrobique officium præstitum non beneficii loco habent, sed contumeliæ vindictam poscentis.

10. Adde *vicissitudinem* istam, in qua ambitiosi tranquillitatem suam quærunt, esse *infinitam*. Quotidie *nova* se offert *occasio aliquid agendi*, quo famam in mundo amplissimam nobis paremus, & qui *multis simul negotiis* expediendis semper incumbit, ac uno eorum vix finito aliud subinde tractare incipit, non mirari debet, si ea per totum vitæ suæ curriculum non absolvat: *Gradus* item *dignitatis* & *fama* quam ambitiosi quærunt, infinita sunt, certe infinita sunt respectu ipsorum: Non opus est ut quis cum Alexandro optet, ut plures essent mundi, ut post mortem patris ad explendam ambitionem suam habeat quod agat; Summi enim Monarchæ atque heroës semper tantum in toto mundo debellando reliquerunt, ut homo ambitiosissimus semper plus laboris ac variationis pro se reperiat, quam is unquam valebit expedire.

11. Deinde cor Ambitiosi rursus ita comparatum est, *ut finita aliqua vicissitudine expleri nequeat*. Desiderium eius *res vanas* intendit, & bonum istud quod sub illis quærit, in sola consistit imaginatione: Imaginatio autem ea

quæ non possidemus nobis semper *maiora* repræsentat, quam revera sunt, certe *quasi adversitate* ista *vacarent*, cum qua omnia conjuncta sunt. Ideoque eorum possessio deinceps non solum per usum quotidianum, verum etiam per cognitionem, quod eorum usus non sit tam jucundus, sicut eum nobis imaginavimus, & per exortam inde adversitatem, quod nos deceperimus, quam non nobis ipsis, ut decebat, sed rei innocenti tribuimus, denique per gustum conjunctæ amaritudinis, necessario *tædium* quodam excitat, ut desiderium nostrum mutemus.

12. Accedit, quod *vicissitudo* ista, quam ambitiosus appetit, non semper, imo *rarissime sit in ejus potestate. Voluptuosi* sibi mutuo inserviunt, ut voluptatem suam expleant, nec ab aliis æque magna ipsis metuenda sunt impedimenta. At *ambitiosis* à sibi etiam similibus *impedimenta* longe maxima expectanda sunt, & si ambitiosus ægritudinem, laborem, iram & indignationem, quæ pro vanæ gloriolæ consecutione perferre cogitur, simul cum hac trutinæ imponat, deprehendet, quod plerunque pro *una uncia honoris centum libras molestiæ* devorare cogatur, quis iam affirmaret, ejusmodi hominem in hoc suo desiderio ullam quietem invenire posse.

13. Præsertim *cum ambitiosus pluribus molestiis sit obnoxius, quas alii non curabunt*, quando nimirum tot *titulis*, quibus antea usus erat, non am-

amplius salutatur, quando *non tam submisse se coram eo incurvant*, non tot *instrumentis musicis* in eius honorem canunt, non amplius ei *obediunt*, quando eius ædes, quæ prius ministris repletæ erant, & via ante earum ingressum, per quam prius ob curruum multitudinem vix transitus patebat, ob conversam eius fortunam nimis *vacuæ* redduntur, quando ab *officio* cum dignitate conjuncto deponitur, quando ab aliis *contemptim* tractatur, *libri* ejus, item *insignia* per carnificem *comburuntur*, aut *confringuntur*, vel *nomen ejus patibulo affigitur*. Hæc omnia sunt huiusmodi, quæ ambitiosum (etsi innocens ista patitur) intime excruciant, propter quæ, ne dicam virtuosus in quiete sua non turbatur, sed & voluptuosus vel avarus, quoad motum φιλοτιμίας parum inquietantur.

14. Differentia inter Ambitionem & reliqua vitia in eo potissimum consistit, quod Ambitiosus summum bonum quærit *in aliorum de se existimatione*, i. e. ut meliorem de ipso opinionem foveant quam de reliquis, eumque aliis *excellentiorem* existiment, eamque existimationem *externa veneratione*, maxime vero *externa obedientia* testentur. Ac quotidiana id quidem testatur experientia, proderit tamen rem aliquanto accuratius expendere.

15. *Voluptuosus* gaudet si alii *hilares* cum ipso conversantur, facinora eius *laudant*, eaque in quibus aliis exemplo præit, *imitantur*; sed non æque obedientiam ab eis requirit, ei-

que perinde est an hymnum potatorium aliis præcinat, an succinat, non indignatur cum ei non infunditur, nec in aliis rebus obeditur, modo habeat quod ipse sibi infundat. Quicquid alii de eo loquantur, susque deque habet, sed cum ei occinitur: Quale erit hominum de actionibus tuis judicium? frigidissime respondet: Lirum Larum, (i. e. mitte vadere sicut vadit, &c.) *Ambitiosus* contra non contentus est, si alii actionibus ejus *delectantur*, easque laudant, sed tantam ab ipsis requirit existimationem, ut actiones suas etiam *ad ejus exemplum instituant*, idque non in rebus vulgaribus, quæ homines contemptui exponunt, v. g. in canendis hymnis potatoriis vel amatoriis, &c. sed in his quæ ex tali fundamento oriuntur, ut homo *ad imperandum* sit idoneus, quæ aptitudo ex actionibus voluptuosis deduci non solet.

16. Similiter *Avarus* non curat quid homines de eo loquantur, imo ridet si eum nebulonem appellent, modo ipsi relinquant marsupium. Nec aliorum honorificas veneraciones sibi exhibitas æstimat, magisque delectatur lucrato grosso, quam multis sibi præbitis incurvationibus, vel tributis titulis, imo in humum sese prosternet, modo ipsi pecuniam accipere liceat. Cum ex adverso *Ambitiosus* Musica honorifica in ejus præsentia instituta, oratione panegyrica &c. plus delectetur, quam multa pecunia ipsi donata.

17. Ac videtur quidem *Ambitio* non unius esse

esse generis, dum plures ambitiosi existimatione, & submisso obsequio non contenti sunt, sed ab obsequentibus *ingentes pecuniæ summas* exigunt, adeoque solo honore non explentur. Sed non omnia ista quæ ambitiosi agere solent, ambitioni tribuamus, sed affectum observare debemus cum ambitione permixtum. Quando simul cum ambitione *avari* sunt, hæc pecuniæ exactio avaritiæ tribuenda est. Quando autem simul sunt *voluptati dediti*, pecuniam non extorquebunt, vel si omnino extorserint, pecuniam corrasam certe ad honorifica negotia expedienda in alios conferent, adeoque id in ambitioso tanquam nudum medium ad desiderium suum, aliorum nimirum existimationem consequendam, non ut ipsum desiderium, considerandum est.

18. Sed quale est discrimen inter Virtuosum & Ambitiosum, dum *virtuosum* eam ipsam ob causam, quia aliorum virtuosorum amorem quærit, necesse est eorum *existimationem* quærere, siquidem in priori parte Ethices ostendimus, existimationem semper amorem rationalem præcedere oportere? Insignis vero hic intercedit differentia. In amore rationali corda per corda quæruntur, & Existimatio via solum est, per quam incedimus, non ipse scopus. Virtuosus tantum quærit corda eorum qui eodem, quo ipse, sunt ingenio, ac certo scit, quod eorū potietur, quia necesse est, virtuosos alios virtuosos amare debere, ergo appetit bonum quod

in sua potestate est. Sed *ambitiosus* aliorum hominum existimationem in genere quærit, etsi ut eam obtineat non sit in sua potestate, imo absolute impossibile, dum nemo mortalium omnium hominum existimationem consequi potest. Superbus non admodum quidem contristatur, si virtuosi, voluptuosi vel avari eum non magnificiant, nec pati tamen potest, ut eum contemnant, vel eius voluntati se opponant. In specie delectatur æstimatione ac veneratione ab aliis ambitiosis ipsi exhibita, quam tamen ut assequatur, nequaquam in ejo est potestate, quia naturaliter ambitiosi ambitiosos metuunt; Ubi timor est, ibi non est amor & ubi non est amor, ibi non est vera Existimatio.

19. *Virtuosus* adulatores ægre ferre potest, qui aliter loquuntur, quam sentiunt, quia, non verba ac externas significationes, sed cordis affectum quærit. Contra *Ambitiosus* bene scit, pauciſſimos qui ei honorem exhibent, ita ex animo de ipso sentire; Sed contentus est, si ei verbis blandiuntur; ac *externis actionibus* existimationem simulant; Ideoq; semper mavult cum sui similibus falsis hominibus conversari, quam cum candidis, modo illi adulationem suam non crasse nimis instituant.

20. *Virtuosus* ab alio virtuoso non prætendit obedientiam, sed amorem, i.e. mutuam officiositatem, ac unionem cordium, ubi neuter in alterum usurpat imperium, ambo tamen sibi mutuo obtemperare conantur. Sed *ambi-*

bitiosus summam oblectationem suam in eo quærit, ut aliis imperare queat, ac molestè fert, si aliis inservire cogatur. Novi equidem, quod ambitiosus superioribus *multis in rebus inserviat*, & quod utilius quam voluptuosi aut avari ad negotia expedienda adhibeatur; Sed hæc officia ex ejus animo non proficiscuntur, quod fit in virtiosis, sed semper propriis commodis nituntur, & ambitiosus semper quærit, quemadmodum his officiis vel talem promotionem consequatur, ubi aliis *imperare* possit, vel cor ipsius cui officia præstat, subjuget, ut id postea tanto arctius in *mandatis* suis constringat.

21. Ac *Libertas* quidem, si secundum rationem sibi relictam pronunciare velimus, bonum est non contemnendum, sed in suo pretio habendum, certe dubium non est, quod vir sapiens, si ipsi optio daretur, libertatem vel servitutem eligendi, libertatem electurus sit; cum præter alias rationes in libertate plura rationalis amoris testimonia per spontaneas actiones exhibere queat, quam si aliis obedire cogatur, nec semper pateat, an ultro aliquid fecerit, an obsequio ac metu compulsus. Et sæpius ambitiosi sibi hoc ipso blandiuntur ac apud alios se excusant, quod cum sana ratione optime conveniat, *ad dignitates aspirare, ut hac libertate consecuta honestas actiones eo melius significemus:* Sed & hic differentia est inter *virtuosum* & *ambitiosum: Ille* e seruitute se liberare desiderat, ne *sub aliorum* violentia ac dominio vivere coga-

tur: *Hic* vero *alios subjugare* cogitat. Ille libertate contentus est, ac servitutem tantum fugit, rationalem tamen subiectionem cum libertate conciliare potest atque conjungere: Hic vero libertatem, si ipsi non liceat simul habere imperium, contemnit, ac nemini vult subjectus esse.

22 Sic discrimen etiam est inter virtuosos & ambitiosos, intuitu *externorum officiorum* ab aliis exhibendorum. *Virtuosi* contenti sunt, si alii *candide & absque ceremoniis*, modo non rustice, cum ipsis conversantur, nec aliis facile aliquid agendum offerunt; Sed ambitiosi eiusmodi candidam atque apertam conversationem ferre nequeunt, sed *quanto* plures sibi exhibentur *ceremoniæ*, tanto plus, hisce delectantur, eoque magis augeretur eorum delectatio, quo pluribus simul aliquid imperare eisque negotia imponere possent.

23. Imo inter externas existimationis significationes *ambitiosus* maxime eliget *externum obsequium*. Et sicut *avarus* venerationis signis non expletur, sed ei danda est pecunia: ita ambitiosus aliis quibuscunque significationibus atque officiis non contentus est, sed *obediendum ipsi est*, & si alterutrum duorum eligere cogitur, eliget *obsequium absque veneratione*, præ veneratione sine obsequio.

24. *Animum* tamen exhibentis parum curat, modo aliquis mandata eius exequatur eumque honore afficiat, etsi eum in corde odio habeat. Oderint dum metuant, symbolum est *ambitiosi*,

id-

idque in longe alia significatione, quam si *virtuosus* hoc usurus esset. Apud hunc is foret eius sensus: *Impii* me oderint, dummodo tot *amicos* habeam *virtuti deditos*, ut inimici mei vereantur mihi ægre facere. Sed apud *ambitiosum* idem est ac si dicat: Oderit me totus mundus, dummodo sim tanta *potestate*, ut me totus mundus metuere cogatur.

25. Jam quam distincta est intentio virtuosi ac ambitiosi, tam distincta etiam sunt *media*, quibus utrique ad scopum suum obtinendum utuntur. *Virtuosus* amica *humanitate* atque *modestia* erga omnes utitur, ac quantumvis se aliis non deteriorem putat, tamen nec aliis se præfert, sed ubique æqualitatem naturæ humanæ, tanquam optimum pacis vinculum, observat. Contra *ambitiosus* hunc canonem sequitur, quem aliis etiam tanquam monitum tradere solet: *Quicunque seipsum non æstimat, hunc nec alii æstimabunt.* Noli, inquit, omnibus esse familiaris, characterem suum observare oportet. Inter homines omnino oportet esse discrimen. Leves homines vel avari omnibus fiunt familiares: & nimia familiaritas necessario parit contemptum.

26. Sed quam vana hæc sunt argumenta? O te miserum, quis tibi persuasit quod alii ad oculos tuos te æstimabunt, nec propriis oculis utentur? Non potes medium aliquod tenere inter superbiam & familiaritatem, inter levitatem voluptuosorum vel servitutem avarorum,

&

& modestiam virtuosorum? *Familiaritas* parit contemptum, *fastus* vero odium. Quanto nobiliore gaudes charactere status tui, tanto plus ille ornatur modestia ac humanitate, tantoque fortius superbia dehonestatur.

27. Ecquis autem esset tam stolidus, qui alium ob nihilum magnificiat, tantum quia *ipse magnam sui existimationem habet?* Id vero ambitiosus etiam intelligit, ideoque existimatione sui non contentus alios *actionibus suis* occœcare conatur. Potest enim palpare, quod is, quem tanquam aliis excellentionem magnifieri oporteat, *excellentes* etiam *actiones* edere debeat. At quas actiones præstabit ambitiosus? *Excellenti amore* caret, sed *ingenio excellit*, atque *audacia*; itaque eo elaborat, quemadmodum his apud alios sibi existimationem paret: Consilia eius sunt *ingeniosa*, actiones *audaces* & violentæ, nullum timet periculum, vitamque vel pro nihilo discriminibus exponit, eoque nomen prudentis & magnanimi sibi comparat apud eos qui veram prudentiam ac magnanimitatem ignorant, i. e. apud plurimos. Hoc persuadentur ut ambitioso externam reverentiam & obsequium exhibeant, vel ex *metu* præ ejus *audacia*, quando voluptuosi sunt, vel *versutia*, si avari, vel *spe* prudentiæ & audaciæ ejus fruendi, si ambitiosi sunt.

28. Jam Ambitionem secundum commoda & incommoda sua considerabimus, quæ in tabula capitis 7. ei attribuimus. Ac de postremo

mo quidem, nempe de *Intellectu*, ordiemur. Ambitiosus *Judicio excellit*, non ita *ingeniosa inveniendi facultate*, nec *memoria*. Ambitio *Decorum* in mundum importavit. Hoc non alio firmiori nititur fundamento, quam arbitrio ambitiosorum, vel ejusmodi hominum, qui ab aliis honorantur ac metuuntur. Et quoniam istud vanitate fulcitur, ac summe variabile est, ideo nec decorum ex immotis regulis fundamentalibus addisci potest, sed requiritur *continua & exquisita observatio minutissimarum etiam rerum*, quia decorum quotidie variatur, & pro diversitate locorum mutatur. Jam si ambitiosus apud alios ambitiosos favorem aucupari velit, decoro ipsi utendum est, alias ei occinitur vulgatum illud proverbium: Qui proficit in literis &c. Quantacunque aliquis sit eruditione, si bonis moribus vacat, (nam mundus non virtutem sed vanitatem decori ac consuetudinem vocat bonos mores) is nulli rei utiliter adhiberi potest. Unde scilicet alias provenirent *homines morati!* *Voluptuosus* decori nullam rationem habet, sed est magister indecori, qui apud Germanos uno verbo Grobianus appellatur. *Avarus* non habet tantum patientiæ, ut ingenium suum ad decorum applicet, idque observet, cum cerebrum ejus rationibus pecuniariis repletum sit. Non potest non igitur ambitiosus, dum differentiam minutissimarum rerum in *decoro præsenti* (nam præterito vel studio antiquitatis parum hic adju-

juvatur) observat, *judicium suum insigniter exercere atque acuere.* Iam eius judicio in rebus certo fundamento carentibus acuto, cogitari facile potest, eum etiam idoneum fore, qui in scientiis certo fundamento superstructis præ aliis emineat, modo ad eas animum applicare velit.

29. Ambitiosus *non prorsus* quidem *ineptus est ad ingeniosas inventiones*: Nam cum in decoro omnia observet, oportet eum etiam observare *quæ quibus rebus conveniant.* Imo in universum, quicunque rei cujusdam differentiam exacte scit, is necessario etiam scit conformitatem eius cum aliis rebus. Nec ambitiosus tamen sibi vendicare poterit *excellens Ingenium*, vel affirmare quod in inventionibus ingeniosis voluptuosos assequatur: Neque enim ejus laboriositas nimiusque fervor ei tantum temporis relinquit, ut cogitationes suas ingeniosis inventionibus impendat. Adeoque si ambitiosus e. g. carmen scribere velit, illud non æque erit facetum, elegans & jucundum, quam si voluptuosus idem scribat, sed fere sonat *aliquid Hispanicum*, nec melius hic differentia inter ambitiosum & voluptuosum concipi potest, quam si quis poëmata Hispanica cum Gallicis poëmatibus inventionibus & Romantiis, vel inter Gallos epistolas Balzaci cum epistolis Pays exempli loco sibi proponat.

30. Porro Ambitiosus *non ita debili est memo-*

moria, præsertim in rebus ad ambitionem pertinentibus. Non facile obliviscitur illatæ contumeliæ ac offensionis. Non facile eius memoriæ excidet hora imo momentum temporis, quo negotia sua ipsi expedienda sunt. Et si quis unquam puncta temporis accurate observare solet, certe id facit *ambitiosus*, cum ex adverso *voluptuosus* puncta observare nequeat, quia cogitationes suas eo non convertit, *avarus* vero puncta observare nolit, sed tædiose debita sua tam activa quam passiva recolat. *Nec excellit tamen* ambitiosus *memoria*, neque in hac parte avarum ullo modo æquare valet. Non enim ita memoriam exercet, sicut avarus, qui rationes & supputationes nocte dieque volvit atque revolvit: cum ambitiosus præsentibus tantopere occupetur, ut ad præterita eorumque ordinem cogitationes non tam sæpe reflectat.

31. Inde vero colligi facile poterit, *cujusmodi sit literatura Ambitiosi.* Superiori capite jam monuimus, literarum studia per se neque ad voluptatem, neque ad ambitionem, neque ad avaritiam pertinere, sed in singulis locum habere. Ita vero non præcise necessarium est *ut ambitiosus ad studia se applicet*, vel in studiis præ aliis negotiis oblectationem suam quærat: sed prout occasio sese offert, vel prout educatur, imprimis vero prout videt eos quorum maxime favorem ambit, studia æstimare, studiis se mancipat, nam & in bello, item in aula

la etiam absque literatura occasio offerri potest explendæ ambitionis. Ergo ambitiosus nunquam studia per se æstimat, h. e. *studiis non incumbit jucunditatis causa*, sed his semper utitur *tanquam medio, quo ambitionem suam explere possit.*

32. Si vero studiis se consecrat, tum *omnia ei ob iudicii præstantiam bene succedunt.* Nam & ea, quæ aliis videntur difficillima, cito comprehendit, & diligens est, nec Lectiones vel Collegia sua facile negliget: Cæterum patientiam habet rem inceptam ordine perdiscendi atque absolvendi. Non admodum delectatur studiis, quæ in sensus cadunt, & ab omnibus facili negotio intelliguntur, etsi generi humano summam utilitatem allatura essent. Ea potius studia amat, quæ *intensam* requirunt *speculationem*, quæque subtilia sunt & abstractiva, & a pauciſſimis, imo a nemine perspicue comprehendi possunt, sed quorum pretium secundum obscuritatem suam æstimari solet, licet generi humano parum, imo plane nihil prosint: Non ipse solum libris studiose incumbit, sed & *conversationem ingeniosorum atque eruditorum exquirit*, ut & apud hos eruditionem suam ostentet: Idoneus est qui varias addiscat disciplinas in eisque egregio cum successu libris editis emineat, *stylus* tamen ejus magis est *gravis* ac *supercilioſus*, quam jucundus.

33. Duo *vitia præcipua*, quibus ambitio ab amo-

amore rationali distinguitur, sunt *Contemnens Superbia & Violenta Audacia. Contemnens Superbia est vitium quod ambitiosos impellit, ut seipsos pluris æstiment, quam omnes alios homines, adeoq; alios se viliores putent, neque hunc tamen despectum, semper apud omnes externo contemptu, plerumque tamen intermissione æqualis humanitatis ostendant.*

34. Ea uno verbo appellatur *Fastus*, & talis quidem fastus qui a mundo non habetur, plane irrationalis, eo quod ambitiosi fere magno sunt ingenio ac singulari animo, ac propterea etiam a voluptuosis ac avaris, quia hi eorum ope indigent, magnifieri soleant, & quia alii ambitiosi, etsi eos revera non magnifaciunt, (quoniam seipsos semper maximi æstimant) eos tamen pluris faciunt quam alios (voluptuosos, avaros & pro re nata ambitiosos.)

35. *Is fastus* raro in *manifestum contemptum sine data causa solet erumpere*, tum quod hic plerumque causam præbeat collisionis, ambitiosus autem non facile omnes promiscue tanti faciat, ut cum ipsis collidatur, maxime cum secundum regulas ambitiosorum honor etiam in eo versetur, si quis cum altero colluctatur; tum quod hi, qui alios innocentes contumelia afficiunt, non magna sint in mundo existimatione, dum hoc debilem ostendit intellectum, adeoque, ambitiosi plus incommodi inde sensuri essent.

36. Sed ambitiosi fastum suum eo ostendunt, quod *non quoscunque promiscue humaniter*

ac civiliter tractant, sed humanitatem ac civilitatem suam quasi secundum cubitos *pro differentia hominum* quibus ad ambitionem suam opus habent, distribuunt. Unde *non plane agrestibus*, sed tamen *incivilibus*, annumerandi sunt. Et hoc intuitu valde quidem *amori rationali* & æquabili humanitati, magisque adhuc *voluptuosæ* servili submissioni oppositi sunt. Unde etiam ambitiosi hac parte cum virtuosis libentius conversantur, quam cum voluptuosis.

37. *Violenta Audacia est vitium ambitiosos impellens, ut omnibus rebus, quæ ambitioni suæ obluctantur, impatienter indignentur & effervescant, ad eaque amolienda omnia, in primo etiam fervore periculosissima remedia absque consideratione, possibilitane an impossibia sint, arripiant.* Hoc vitio ambitiosus ab *amore rationali*, item a *voluptate* separatur, dum virtuosus ea tantum quæ adversi sunt, e. g. exquisitissimos dolores adversa putat, in iisque patientem animositatem suam exercet, privatione vero vani honoris, vel deliciarum plane non commouetur, voluptuosus vero subductione vani honoris parum afficitur, modo habeat ea, quibus sensus suos oblectet. Ambitiosus autem non admodum offenditur, quando sibi non licet delicate vivere, imo maximos sæpe dolores patienter fert, si sibi persuadet, quod hoc ipso insigne honoris augmentū sit consecuturus, sed imaginario eius honore leviter saltem læso præ impatientia in furorem agitur.

38. Ac

38. Ac *ambitio* quidem in hoc cum *voluptate* concordat, & a virtute distinguitur, quod obortas aduersitates *impatienter* fert; hoc autem a voluptate discrepat, quod Impatientia voluptuosos eo impellit, ut aduersa magis sentiant, ambitiosis vero occasionem præbeat, ut aduersis rebus *furere* incipiat. Hinc etsi impatientia utrumq; tam voluptuosum quam ambitiosum in primo fervore ratione sua ac prudentia privat, ne *media* bene ponderent ad propulsandas aduersitates inservientia, & sic uterque ab amore rationali dissidet, tamen impatientia voluptuosi *trepidationem ac desperationem* causatur, ut *minus* faciat quam res postulat, *furor* autem ambitiosi, ut *plus* faciat quam expedit, vel media intempestive usurpat, vel talia media adhibet, quæ non valet expedire, vel quo minus expediat, tempore prohibetur.

39. Sicut autem despiciens Superbia, & furibunda Audacia anima quasi sunt ambitiosi, ita necessario deforme monstrum pariunt, *Iram* nimirum, sive *iracundam* excandescentem *vindictæ cupiditatem*. Hæc vero est vitium, *quod efficit in ambitioso sensum & dolorem illatæ offensionis vel injuriæ, eumque impellit, ut adhibita violentia & illatione majoris doloris eam in lædente ulciscatur, nec prius eum sinit quiescere, quam vindicta erga lædentem executa.* Contemnens *Superbia* necessario sensum gignit injuriæ. Nam quicunque se aliis præfert, hunc necesse est injurias ab aliis sibi illatas intime sentire, cum læ-

dentes manifeste ostendant, quod eum respectu sui vilipendant, certe offensione per errorem facta, tanti eum non faciant, quanti ab ipsis prudenti existimatione fieri prætendit, violenta vero *audacia* parit fervens desiderium mali amoliendi, *utraque* tandem & superbia & audacia vindictæ cupidinem generant.

40. Iam quemadmodum *amor rationalis* mediante æquanimi humanitate ac patiente animositate, superbiæ atque audaciæ ambitionis e diametro oppositus est, ita sine dubio iracunda vindictæ cupiditas in ambitione patienti animositati amoris rationalis plane contraria est, dum hæc nec injurias sentit, nec aliis propterea malum inferre cogitat. Ac *voluptuosus* quidem exquisitum habet sensum, sed hic sensus non est diuturnus, cum ex adverso *ambitiosus* ob calidum ac igneum temperamentum, quando semel id excanduit, non facile extinguitur, nisi per sanguinem vel per dolorem lædentis: In *voluptuoso* vindictæ cupiditas mox remittit ob meticulositatem ejus, & quando videt, quod propter alterius resistentiam vindictam difficulter exequi queat. Sed *ambitiosus* nescit metum, & quanto magis lædens ei resistit, quantoque ei vindicta fit difficilior, tanto ea ipsi redditur jucundior, tantoq; fortius excandescentia ejus per superbiam ac audacam inflatur. Furit ut leo, & in hac ira sua actiones edit, secundum stylum ambitiosorum, plusquam humanas, secundum rei veritа-

ritatem vero plusquam beſtiales, cum ira eius difficilius mitigari queat, quam ira rabidæ beſtiæ.

41. Iam reliqua vitia ambitionis ex tribus præcipuis facile derivari poſſunt. *Obſtinata Reticentia* eſt vitium *per quod ambitioſus impellitur, ut omnia cum ſua tum aliena negotia tractet tanquam myſteria, ac absque conſideratione temporis & loci, item an taciturnitas ſua ipſi commodum, an incommodum afferat, eorum ne minimum quidem aperiat, & ab hac reticentia nec precibus nec metu ſe abſtrahi patiatur.* In eo *ambitioſus voluptuoſo* ex diametro oppoſitus eſt, quod hic omnia effutit, ille vero nihil omnino enunciat, & quando intuitu apertæ taciturnitatis quæ eſt penes virtutem, voluptuoſus nimis eſt apertus, ac quoad taciturnitatem in defectu peccat, ambitioſus minus eſt apertus, at nimis taciturnus.

42. *Ambitioſus cuncta ſua negotia tractat tanquam myſteria*, cum nemini benefacere cupiat, ideoque veretur ne alii ex circumſtantiis indifferentibus ſententiam propoſiti ſui eruant atque addiſcant, quia ipſe ex hujusmodi circumſtantiis aliorum propoſitum exquirere conſueuit: *De aliis* etiam ſive amicis, ſive inimicis, *pauca* loquitur. Si *inimici* ſunt, ne quis ſentiat, quomodo erga illos ſit affectus, vel quia ſcit, ſi eorum conſilia ſe neſcire ſimulet, quod ita eum non cavebunt. Sin *amici fucati*, non quidem id facit ex amore erga ipſos,

sed sive quod novit, garrulos contemptui esse expositos, sive quod propria eius commoda, quibus cum amicis fucatis complicatus est, hoc ipso certissime enunciarentur: Ac tametsi *rogetur*, ut mysteria hæc aperiat, tamen his precibus non movebitur, quia videt hos a quibus rogatur, plerunque voluptati vel avaritiæ deditos esse, & de eorum taciturnitate se parum sibi posse polliceri, vel quia hanc pertinaciam suam pro virtute taciturnitatis ac constantiæ habet, eaque sibi existimationem apud alios parare cogitat. *Comminatione* adhuc minus ab ipso aliquid extorquebitur, ob eius audaciam ac excandescentiam, ac ipse sibi citius linguæ suæ partem dentibus abscindet, eamque in faciem inimicorum exspuet, quam ut tortura ab ipsis adhibita cogi se patiatur, ut eorum se voluntati accommodet. Hinc quod aliqui se passi sunt torqueri, ne voluntati inimicorum obedirent, non præbet singularis cujusdam virtutis argumentum, quia tot exempla malitiosorum hominum adduci possunt quam virtuosorum, qui nullo cruciatu ad confessionem eorum, quæ noverant, adduci potuerunt, & quia temperamentum sanguinis calidi & ad ambitionem inclinantis naturaliter idoneum est, ad hominem ad taciturnitatem disponendum, ad quam humida substantia sanguinis voluptuosi plane inepta est, ut ipsi tacere sit impossibile.

43. *Affectata Magnificentia* vitium est *impel-*

lens

lens ambitiosum, ut facultates suas prompte & si necessitas poscat, abundanter in hujusmodi homines impendat, qui ei ad explendam existimationem suam ac dominandi libidinem videntur posse conducere. Virtuosus facultates suas confert in egenos atque virtuti deditos sine respectu an ab ipsis rursus aliquid expectare debeat, & absque desiderio illis dominandi. *Ambitiosus* vicissim ab hac liberalitate abhorret, ac cogitat se nihil inde lucrari, si quibuscunq; de fece hominum aliquid se donare oporteat. Cor eius magis ad imisericordiam, quam ad misericordiam inclinat ob calorem sanguinis sui, nisi id habeat pro opprobrio, homines qui aliquid ab ipso poscunt, absque dono dimittere, ac vereatur ne ipsum sint diffamaturi, vel ex certis circumstantiis ob liberalitatem suam laudari cupiat, v. g. si viveret in eo statu cuius ornamentum existimaretur liberalitatem suam publice, vel ita, ut id per clientes suos publicetur, exerciturus esset. *Voluptuosus* pecuniam suam expendit in compotatores, lenones, &c. *Ambitiosus* ab hac dilapidatione abhorret, quod tamen metuit, hos homines leviſſimos calumniis suis eius famæ posse incommodare, cavet, si in eorum conversationem incidit, ne his etiam se præbeat tenacem, imo hoc flosculo tanquam regula politica utitur: *Honoratum virum decere ut nulli meretrici, cauponi, nec fidicini aliquid debeat, nec cum hujusmodi hominibus de mercede multum paciscatur.*

44. Itaque *ambitiosus* facultates suas vel im-

immediate collocare solet in coëmendas dignitates, vel easdem impendit in alios homines, sive, ut jam diximus, ne ipsi apud alios incommodent, nec eum contemnant, etsi non admodum curet, quo loco ab illis habeatur; sive ut hac liberalitate sua apud eos aliquam existimationem atque auxilium obtineat. Cæterum quam *vana* est *gloria* quam donis suis aucupatur, tam *vana* etiam sunt ipsa *dona*, quantumvis pretiosa: Supellex pretiosa ad luxum destinata, operæ tibicinum, aurum ac pretiosa utensilia, sumptuosa convivia &c. quibus rebus pecunia aperte dilapidatur, nec in vera eorum, in quos hæc dona conferuntur, commoda collocatur.

45. Porro quam facilis ac promptus ambitiosus est in ingentibus sumptibus erogandis, si gloria inde quæratur, tam *parcus* ac sordidus idem vicissim est, quando ei in proprias necessitates aliquid impendendum est. Nam cum per ambitionem suam impellatur ad magnifica negotia, & ut ab omnibus in mundo timeatur, huic autem intentioni intemperantia insigni sit impedimento, dum *voluptuosi* compotatorum suorum & amasiæ mancipia sunt; animus *ambitiosus* in alterum incidit extremum, & cum *virtutis amans* corpus suum curet, ita tamen ne fiat lascivum, ambitiosus *famem* suam cibis parcissime sumptis *non explet*, idq; non ex tenacitate, sed vel ex nimia præcautione, ne in voluptatem incidat, sed ob rigo-

rem

rem in cibo & potu ab aliis in pretio habeatur, vel quod infinita negotia quæ in cerebro suo volvit, quæque humeris eius incumbunt, tantum otii ei non concedunt, ut corpus suum recreet. Animus eius imperiosus *abhorret sexum fœmineum*, ac amorem alterius sexus considerat tanquam pavorem effœminatum, qui existimationi eius labem aspergere posset. Et si omnino acidat, ut amore mulieris capiatur, oportet eam esse *de sublimiori statu*, ac æque ambitiosam quam ipse est, ut per eam speret se potentiam & autoritatem consecuturum, vel etiam in eo quærat quemadmodum ambitioni suæ satisfaciat, si de ambitioso eius animo triumphare, eumque subigere, i. e. ambitiosæ ejusmodi mulieris actiones ad nutum suum dirigere queat. Hunc affectum in superiori tabula vocavimus *Stoicam Inediam* & *Insensibilitatem*, quia Stoici Philosophi temperantiæ quoad externas actiones apprime dediti, quoad cor autem superbia ac arrogantia pleni fuerunt.

46. Cæterum ex his necessario consequitur, ambitiosum intuitu expensarum in seipsum & in corpus suum *Parcitati* deditum esse. Hoc est, à *voluptuosa prodigalitate* hac parte non solum longe remotus est, sed in hoc etiam virtuosam parsimoniam superat. Non quod sordidus sit & nummilegus, habet enim quod ad honorificas expensas suppetit, ac in rebus suis munditiem amat, minus tamen quam virtuosus in usus suos collocat, habet *vasa argentea*

aliamque supellectilem statui suo accommodatam, sed pro *hospitibus* & *peregrinis* qui eum invisunt; Ipse, quando solus, est, in alio conclavi cœnat & habitat, ac vilioribus utitur vasis atque supellectile. Hospitibus suis *opipara* præbet *convivia*, ipse solus rapis tostis contentus est. Ministros suos *pretiose vestit*, ipse vestitu sordido incedit, qui laboribus suis ferendis respondeat, quando nimirum non cogitur ab aliis ad splendida negotia invitatus apparere.

47. Porro hæc omnia causantur ut Ambitiosus ad *vigilantem Laborem* promptus sit. Ubi multum editur ac bibitur, ibi multum etiam dormitur, idque Pigritiam parit. Tutum est remedium & absque ullo sumptu adversus Ignaviam, tanquam radicem multorum morborum usurpandum: Claude os & aperi oculos. Qui os claudit, huic non difficile est oculos aperire. Iam cum ambitiosus *modico cibo ac potu* contentus sit, facile etiam vigilias sustinet. Ista vigilantia aptum eum reddit ac hilarem ad *negotiorum multitudinem* jucunde expediendam, ac vicissim *Laboriositas* eius vigilantiam sustentat, quia laboriositas ejus magis in labore cogitationum, quam in fatigante motu corporis consistit, & quia cogitationum multitudo, oculari experientia testante, somnum impedit, etsi nimia vigilia corpus debilitet, adeoque in excessu peccet, unde etiam virtutem voluptuoso otio oppositam, in amore rationali *negotio-*

sam

ſam alacritatem, ejus vero exceſſum in ambitione *vigilantem laborem* nuncupavimus.

48. Non minor differentia eſt inter *hilarem officioſitatem amoris virtuoſi* & *Officioſitatem ambitioſi*. Ac ambitioſus quidem aliis *invidet* ſe ſuperioribus, vel ipſi æqualibus, quatenus cupiditatibus eius adverſantur, & *lætatur* quando autoritati eorum aliquid decedit: Nec quibuscunque tamen hominibus bonum invidet, nec ſuper omnium calamitate exultat, imo in externis actionibus *officioſus* eſt, ac ſi quis eius ambitione recte uti ſcit, poterit eum propter excellentiam ingenii ad magna, imo pro re nata ad honeſta negotia expedienda utiliter admovere, quandoquidem officioſitas eius non in levi voluptate & lenociniis, quod fit à *voluptuoſis*, ſed in rebus gravibus ac honeſtis, quæ ad bonum quoddam poſſunt adhiberi, modo virtuoſus eas dirigat, verſatur. Nec diffitendum tamen eſt, quod officioſitati eius *non admodum* posſimus *confidere*, nec ipſi longius frenum laxare debeamus, quia ambitio eius facile ad iram poteſt provocari, quam ut expleat, nulli in mundo rei parcit, & fide nulla ſe conſtringi patitur. Et ſicut omnes eius actiones cum violentia permixtæ ſunt; ita officia eius ad nihil commodius quam ad *truculentas cædes*, *incendia*, *converſiones militares*, ac ſimilia *ſicariorum miniſteria* adhiberi poſſunt, unde etiam in tabula ſæpe dicta hanc appellationem ei tribuimus. Quanquam argumentum totius capitis hujus facile oſten-

ostendet, quod ambitiosi etiam non ad manifeste violenta, sed ad moderata atque ingeniosa officia admoveri queant; prout homines affecti sunt, apud quos ambitiosus per officia sua favorem quærere ac se acceptum reddere conatur.

CAPUT XI.

DE AVARITIA, ET VITIIS EX EA PROGNATIS.

SUMMARIUM.

Avaritia hoc loco non pro solo amore pecuniæ, sed pro amore quarumcunque creaturarum inferiorum, quæ pretio comparari possunt, usurpatur. n. 1. 2. 3. Ejus definitio. n. 4. Ad cognoscendam avaritiam diligenti attentione opus est. n. 5. Quænam ei cum voluptate, item cum ambitione sint communia, nec ne. n. 6. Avarus quærit tranquillitatem, & de inquietudine aliorum prudenter scit ratiocinari, n. 7. Tranquillitatem suam quærit in variatione n. 8. & in unione cum pecunia & creaturis reliquis. n. 9. Sed tranquillitatem in hac variatione ac unitione frustra quærit. n. 10. In infinitam potius inquietudinem prolabitur. n. 11. Nec in finita quadam variatione tranquillitatem invenire potest, sed ex rebus quas possidet, fastidium concipit, licet fastidium eius toto genere discrepet a fastidio ambitiosorum & voluptuosorum. 12. Variatio ab avaro quæsita raro in ejus est potestate, & cum multa molestia conjuncta. n. 13. Molestiam etiam sentit in aliis rebus, in quibus alii sine molestia versaturi essent n. 14. Avarus omni caret desiderio se cum aliis ho-

hominibus uniendi. n. 15. Omnium minime cum avaro sibi simili. n. 16. nec acceptus est apud ambitiosos ac voluptuosos n. 17. Avarus ab aliis hominibus in eo essentialiter distinctus est, quod omni φιλανθρωπία vacat. n. 18. & cor eius creaturis quibuscunque inferioribus affixum est, n. 19. imprimis autem pecuniæ, nam cum avarus aliis creaturis magis adhæret, quam pecuniæ, id provenit ex mixtura alius cujusdam affectus. n. 20. Diversæ species avaritiæ. Quando pecuniæ non est locus, avarus ruit in agriculturam & rem pecuariam. An naturaliter cor avari magis in aurum ruat, quam in alia metalla? n. 21. Dominium est quasi anima avaritiæ, ac avaro communio bonorum quam maxime adversatur. n. 22-25. cum ex adverso virtuosus, imo & voluptuosus & ambitiosus dominium bonorum non admodum curent. n. 23. Hæc unio avaro facilius eripi potest, quam unio quam alii homines appetunt. n. 24. Avarus excellenti gaudet memoria, ac omnia quæcunque possidet, in numerato habet. n. 26. sed debili præditus est iudicio. n. 27. & adhuc debiliori ingenio. n. 28. Cujusmodi sit literatura avari. n. 29. Avarus est dolosus, & affabre scit simulare ac mentiri. Nec taciturnus est, nec candide apertus. n. 30. Est immisericors & tenax erga omnes homines, quantumlibet illi sint egeni. n. 31. In prosperitate stolide inflatus est, & in adversitate submissus instar mendici. n. 32. In adversitate insidiosus est & crudelis. n. 33. Ira ejus est pavida atque occulta, ac erga lædentes vindictam diu dissimulans. n. 34. Sordidus est in cibo & potu, & odit sexum fœmi um. n. 35. In expensis in seipsum conferendis c nummilegus. n. 36. Avarus indifferens quidem est æque ad laborem, ac ad otium, & propendet ad mendicitatem ac furtum, si vero ex necessitate laborare

rare cogitur, prolabitur in laborem asininum. n. 37. Filia avaritiæ est invidia, ea quoscunque in fortuna sua impedit, delectaturque si illi sint infelices. n. 38.

I.

AVaritia in vulgari significatione pro *amore pecuniæ* accipitur. Si quis autem præcepta nostra hactenus tradita accurate expendat, facili negotio deprehendet, quod per vocabulum avaritiæ *amplius* quoddam intelligamus, & hac ratione a *communi significatione* quodammodo recedamus. Cum enim avaritiam statuerimus esse ex tribus affectibus principalibus, in omnes homines dominium exercentibus, jam vero demonstratum sit, nullam in mundo esse creaturam, quam homines non ament, inter alia autem amor *equorum*, *canum*, *hortorum* ac *ædificiorum* &c. neque ad voluptatem, neque ad ambitionem, prout ea vitia capite præcedenti definivimus, reduci queant; hypothesis nostra principalis magnam pateretur contradictionem, si avaritiam pro solo amore pecuniæ accipere vellemus, dum hac ratione multi sese oblaturi essent affectus qui ad nullum ex tribus malis affectibus reduci possent.

2. Deinde manifestum est, tria ista vitia principalia *omnibus* adfuisse *temporibus*. *Pecunia* vero *non semper fuit*, sed aucta opum abundantia demum introducta est, unde etiam cum jam pecuniæ usus invaluisset, *populi multi*, quos spuria

ria Politica barbaros vocat, quamdiu in simplicitate manserunt, & rebus ad vitam necessariis quibus DEUS regiones omnes replevit, contenti fuerunt, *pecuniam ignorarunt*, sed ejus loco permutatione mercium commercia sua exercuerunt, forte etiam hujusmodi populi alicubi adhuc latitabunt. Apud hos neutiquam est dubium, appetitum etiam hujus vitii quod avaritiam vocamus, simul dominatum fuisse, adeoque hujus etiam rei intuitu Avaritiam non de solo amore pecuniæ, nec de eo potissimum prædicari debere.

3. Nihilominus hic etiam cavendum est, ne longius a communi significatu hujus vocabuli discedamus, nec *præter necessitatem novas significationes* introducamus, vel res *his nominibus* appellemus, quæ *ab usu aliorum hominum penitus remotæ*, vel eidem oppositæ sunt. Hoc enim faciunt vel Sophistæ, vel certe homines methodum apte ac distincte docendi parum intelligentes.

4. Tutissime igitur, ad ductum eorum, quæ jam suprà (a) docuimus, *Avaritiam definiemus:* esse *Affectum, qui tranquillitatem suam in perpetua eaque variabili possessione variarum creaturarum homine inferiorum, ac pecunia comparandarum frustra quærit, & propterea cum hisce creaturis, vel si cupiditas illa in excelso aliquo gradu versatur, cum sola pecunia, per eorum acquisitionem ac conservationem uniri desiderat.* Breviter: *Avaritia*

a) cap. 5. §. 11. item cap. 7. §. 3.

ritia est cupido pecuniæ vel eius quod cum pecunia permutatur.

5. Quantumvis autem hæc definitio satis sit perspicua, tamen accurata eius consideratio maximam requirit *attentionem*, partim quod non habeamus *inimicum magis nocentem magisque metuendum*, partim (quod forte infra latius explicabimus) quia nullus affectus mille technis ac dissimulationibus *se tantopere præ nobis occultare studet*, ac ipsa avaritia. Age ergo rem secundum methodum in duobus prioribus capitibus a nobis usurpatam studiose expendamus.

6. Avaritia etiam hoc *cum voluptate cumque ambitione* commune habet, quod tranquillitatem suam in perpetua variatione frustra quærit, ideoque cum rebus amatis uniri desiderat; In eo vero *à voluptate & ab ambitione penitus distincta est*, quod tranquillitatem istam per possessionem inferiorum homine creaturarum, videlicet pecuniæ, vel eorum quæ pecunia comparari possunt, & per privatum quidem eorum dominium, consequi conatur.

7. *Avarus tranquillitatem quærit, eamque persequitur.* Existimat, modò vel per totum vitæ suæ curriculum, vel singulis annis tantos, quantos optat, haberet proventus pecuniæ, vel earum rerum, quæ pro pecunia venales sunt, se tranquillum ac contentum fore. Si aliquando propriam domum, prædium equestre, proprium ovium gregem, canes venaticos bene edu-

educatos, vasa argentea propria, & sic porro in indefinitum, haberet, se nihil amplius deinceps desideraturum esse. Imo avarus æque ac ambitiosus & voluptuosus *de aliorum sibi similium inquietudine scit prudenter ratiocinari.* Sæpe avaros audies dicentes: Hic in voluptate, ambitione, avaritia sua est inexplebilis. Ille habet uxorem probam atque formosam, & deliteſcit in lupanari. Iste tam honestum habet officium, brevi tempore ad tantas dignitates ascendit, nihilominus jam cogitat de relinquendo officio, nec eodem contentus est: Ille in singulos annos aliquot centenos imo millenos thaleros habet loco salarii, tot possidet prædia, tot domus, tot armenta, tantam paratæ pecuniæ summam, nec unquam tamen desinit opes corradere. Miseram verò voluptatem, ambitionem, avaritiam! Si mea uxor modo tertiam partem tam formosa esset, quam eius est uxor; vel si Deus aliquando me tam beatum redderet, & tam formosam uxorem mihi donaret; Si aliis in rebus tam commode mihi vivere liceret, sicut illi; vel, si tam laute possem cœnare, quam iste prandet; si mihi tantus in mundo honor haberetur, quantus habetur eius ministris, si decimam modo partem haberem facultatum atque redituum, quibus iste fruitur, o quam tranquillam vitam acturus essem. Non appeterem alienam mulierem, nec cibos magis delicatos; aulam missam facerem; ex censu annuo, vel proventi-

bus meis ordinariis vitam sustentarem, ex iisque pauperibus certas eleemosynas erogarem, & quod superfuerit paratæ pecuniæ in usus necessitatis & honestatis asservarem.

8 Quemadmodum autem ambitiosus ac voluptuosus *à proprio corde decipitur*; ita magis adhuc *avarus*. *Is æque in principio tranquillitatem suam in variatione quærit*: Si jam possidet saccum nummis repletum, experimentum facere desiderat, quomodo se res haberet, si saccum grossis, deinde thaleris, aureis, scutatis, & portugallensibus nummis maioribus plenum haberet. Si decem thaleros collegit, ab undecimo jam numerat usque ad centesimum, à centesimo usque ad millesimum, & sic porro. Si propriam domum consecutus est, vult etiam habere hortulum, inde hortum, porro villam, post prædium, regionem & his adhuc ampliora; Si habet bigam equorum, vult habere trigam, imo quadrigam ac tandem integrum hippotrophium, equos itinerarios, rhedarios, equos admissarios, equos ad exercitia institutos, ad militiam, ad mercaturam, nigros, albos, rubros. Germanos, Littuanos, Hispanicos &c. Si operam dat canibus, modo vult habere canem, quo utatur tanquam famulo, modo canem aquaticum, modo venaticum, modo canem Danicum, modo catellum Bononiensem: Mox integros canum greges habet paratos, qui toti urbi sufficerent. &c.

9. Por-

9. Porro *avarus perpetuo tranquillitatem suam quærit in unione cum rebus amatis.* Si pecuniæ animum consecrat, posset esse quietus, si proventus suos quotidianos haberet, ac sciret, in regione, item in urbe, aut ubicunque degit, tantum esse pecuniæ apud amicos suos & apud alios, qui ei in casu necessitatis opitulari possent. Si domibus inhiat, hortis, canibus, equis, &c. satis se posset oblectari, si in conducta domo habitaret; si in alieno horto amœnissimo amplam haberet occasionem deambulandi; si in equo conducto obequitaret, si alicui cohabitaret, vel alicui à ministerio esset, qui canes multos aleret, &c. Sed in rebus non suis avarus summam deprehendit inquietudinem: *Non potest esse quietus, donec rem amatam ipse propriam possideat*, ac mediante hoc dominio cum pecunia vel aliis rebus propriis uniri desiderat. Tenelli pueri si quid amant, ut unionē cum istis rebus testentur, pupas suas amplectuntur, exosculantur, dormituri in lectulum secum portant. Certe si idem avaro liceret, nil magis haberet in votis, quam ut domum, vel equum suum &c. in lectum secum assumere posset. Quanto cordis affectu fœtidum canem osculatur? Quam cuperet arcam pecuniæ collo suo appendere, si id ipsi esset possibile? Iam cum eam secum portare nequeat, ipse se arcæ affigit, ac ut delectationem suam ostendat ab ea nunquam discedit, sed eam vigili custodia noctes diesque servat.

10. *Frustra autem avarus tranquillitatem suam in hac variatione ac unitione quærit.* Ita nimirum cum omnibus desideriis nostris comparatum est, ut idem nobis accidat quod sitibundis, quibus nihil in potum præbetur quam e. g. vinum Hispanicum, vel alia ejuscemodi dulcia sed calida potulenta. Ac hi quidem intendunt, quemadmodum, dum potant, sitim suam extinguant; sed quanto plus bibunt, tanto plus sitiunt, tantoque magis bibere desiderant. Eam ipsam ob causam, quod homo quietem in variatione quærit, frustra eam quærit: Variatio si non semper variatur, non videtur nobis esse variatio. Insignes sunt variationes veris, æstatis, autumni & hyemis, item diei ac noctis, sed quoniam istæ perpetuo se mutuo excipiunt, ac in eorum temporum ordine nulla variatio, vel novatio deprehenditur, non habemus illud pro variatione. Variatio tranquillitati opposita est, manifestum ergo est, quod is qui tranquillitatem suam in variatione quærit, eam in inquietudine, i. e. frustra quærat. Velut avarus, si decem thaleros possidet, de centenis, inde de millenis, & sic porro cogitat. Ita vero, licet 100000. talenta haberet, de nova eorum multiplicatione solicitus foret: Licet aurum omne haberet, quod in toto terrarum orbe continetur, tamen quæreret, quemadmodum exemplo Midæ omnia per lapidem philosophicum in aurum converteret.

11. Ita vero *avarus etiam in avaritia sua infini-*

nitam reperit inquietudinem. Vita ejus, etsi Mathusalæ ætatem attingeret, brevior est, quam ut omnem, quæ in toto mundo est, pecuniam, imo ne species quidem veterum numismatum & recentiorum monetarum ac nummorum memorialium numerum vel supputare queat. Quæ si omnia jam collegit, forte ipsi inter recentiores monetas deest thalerus fœderis Helvetici, vel Mansfeldicus, vel thalerus cum inscriptione: Amicus Dei, hostis clericorum, vel thalerus sub vicariatu imperii cujus, ubi inscriptio: Deo & patriæ, prope caudam equi incipit. &c. præsertim cum nullum fere temporis momentum præterlabatur, quo non nova nummorum memorabilium genera prodeant. Imo quia avarus etiam quascunque creaturas homini inferiores amore amplectitur, infinitas inquietudinis eius tanto palpabilior est. Si Adamus protoplastus adhuc viveret, & inde à suo tempore ad nostram usque ætatem orbem terrarum peragrasset, nunquam tamen in diversissimis creaturarum speciebus, quæ sunt in superficie telluris, numerandis duntaxat, & secundum externam figuram contemplandis, nedum in creaturis subterraneis, quæque in aqua & in toto mundo sunt, recensendis ad finem perveniisset.

12. *Neque etiam avarus in variatione finita delectationem invenire potest. Fastidium* rerum quas possidemus apud avarum æque naturale est, quam apud voluptuosum & ambitiosum: Ra-

rias rebus omnibus pretium statuit. Quibus rebus abundamus, quæque nobis sunt quotidiana, ea parvi æstimamus; Jam vero quæ avarus possidet, ipsi sunt quotidiana. Etsi avaritiam in parcissima dosi habeamus, cuicunque tandem rei nos mancipemus, tamen deprehendemus, quod quantumvis initio in his comparandis coëmendisque ferveamus, tantum illis per aliquot dies possessis tepescamus, donec is tepor tandem in frigus convertatur. Si e. g. flagranti desiderio chirothecas odoriferas nobis comparavimus, per aliquot dies eas assidue naribus admovemus, deinceps id floccipendimus, postquam odori assuevimus, licet alii hoc odore impense delectentur, & ob suavem odorem chirothecas laudent. Atque hic idem fere facimus quod pueri, qui pupas suas, quas per biduum in lectulum secum asportarunt, tertio die decollare solent. In hoc tamen *fastidium avari a fastidio voluptuosi item ambitiosi differt*, quod hi rem qua delectabantur, quamprimum eius fastidium ceperunt, in variatione sua abdicare ac cum alia comutare soleant, avarus autem ea omnia quæ semel propria acquisivit, etsi ex iis delectationem amplius non capiat, tamen novis rebus acquisitis, quantum potest retinere studeat.

13. Deinde avari desiderium tranquillitatem desideratam eo etiam obtinere nequit, quod *quæsita variatio raro in eius potestate est, sed eam*

eam necesse est multa cum adversitate esse conjunctam. Nemo facile alteri gratis aliquid donat. Plurimi hominum lucro inhiant, & avarus semper avaros invenit, qui ei in acquirendis rebus impedimento sunt, ac licet supra (b) notaverimus, ambitiosos ambitiosis ejusmodi impedimenta injicere, deprehendimus tamen ambitiosos sæpe ambitiosis opitulari. Sed *avari avaris* ob causas mox recensendas *nunquam commodabunt, sed alter alterum semper impediet,* ac si omnino *societates, quibus alter alterum adjuvet,* instituant, tamen in ipsa rerum acquisitione, vel in earum divisione &c. semper quærent, quemadmodum alter alterum decipiat: Porro si avarus sudorem ac laborem suum cum lucro emergente comparare velit, deprehendet, quod plerumque *centum libras molestiæ pro una uncia lucri* devorare debeat, præsertim cum qualitates avaritiæ mox ostendent, *ambitiosum facilius ditescere posse quam avarum,* nec avarum ob metum, diffidentiam &c. idoneum esse, ut aliquid audeat; Quicunque autem nihil audet, nihil lucratur. Adde *curas* atque *ærumnas* quas avarus sibi creat in facultatibus suis *obtinendis* ac *conservandis.*

14. Denique *avarus ipse sibi multas creat molestias ac inquietudines, quas voluptuosus & ambitiosus, nedum homo rationalis pro molestia non habiturus esset.* Avarus enim etsi integra fruitur

(b) cap. 10. §. 12.

valetudine, nec fama ejus lædituR, nec ullam egestatem sentit, si ipsi sacculus pecuniæ, cujus non eget ad necessitatem suam, surripitur, vel pecus ipsi moritur, imo canis, vel si lucrum speratum capere nequit, vel si quis diutius vivit quam vellet, cujus hæreditatem expectat, contristatur & angitur; Quod si his majora ipsi eveniant, ut domus ejus incendio conflagret, vel maxima bonorum ejus pars diripiatur, parum abest quin desperet. Contra voluptuosus & ambitiosus levioribus damnis parum admodum, vel plane non moventur; in gravioribus autem tristitia inde hausta cito transit, cum ille mox amicos inveniat, qui illius egestati subveniunt, hic vero occasionem quærat inde emergendi ac sese colligendi. Virtuti deditus autem hæc omnia, tanquam res ad se non pertinentes, & quibus carere facile possit, intuetur.

15. Hac ratione vero *inter avaros & aliorum affectuum homines magna est differentia*, quod cum voluptuosi ac ambitiosi se cum aliis, vel alios secum unire desiderent (c) *avari hanc unitionem ejusque desiderium prorsus ignorant.* Avarus maximam delectationem sentit, si solus loculo, vel equo aut cani suo assidet, ibique majori fruitur jucunditate, quam in jucundissimorum ac honestissimorum hominum consortio. Temperamentum ejus melancholicum amat soli-

(c) cap. 9. §. 7. 8. c. 10. §. 5. seq.

solitudinem: Taciturnus sedet in conversatione ac sibi & aliis onerosus est.

16. Cumque alii, ne voluptuosis & ambiosis quidem exceptis, sui similibus se quam maxime associent, *avarus ægerrime avaro sociatur, sed eum plus odit, quam alios*, certus enim est, sicut ipse omnia solus habere desiderat, ita alterum avarum idem intendere, adeoq; ambos sibi mutuo in proposito suo impedimento esse oportere; Cum ipsi ex adverso consortiū voluptuosi & ambitiosi aliquanto sit tolerabilius, quia eos habet pro stultis, apud quos ipse lucrum capiat, dum voluptuosus vel verborum blandimentis vel fraude sibi imponi patitur, ut alter aliquid ab ipso accipiat, ambitiosus vero glorioſum putat, his qui ei honorem exhibent, pro veneratione ac blandimentis suis paratam pecuniam rependere.

17. *Nullus* tamen *avarus apud voluptuosos atque ambitiosos acceptus est*, postquam eum jam cognoverunt. Nam licet voluptuoso molestum sit ambitiosorum consortium, ac ambitioso vicissim voluptuosorum gaudia displiceant, tamen optione data magis alter cum altero, quam cum avaris conversabuntur, quia hos vere abhorrent; voluptuosus ob avari nummilegium, sordidam tenacitatem & temperamentum melancholicum, ambitiosus vero ob ejus cum pavorem ac metum, tum etiam ob dictam tenacitatem.

18. *Essentialis* ergo *differentia* inter avaritiam

& amorem rationalem, voluptatem ac ambitionem in eo consistit, quod *avarus omni φιλανθρωπία plane vacat.* Ubi est thesaurus noster, ibi est cor nostrum. Æque ac duo simul cogitare nequimus, ita duo simul amare non possumus, sed alterum alteri cedere oportet, quatenus sibi invicem sunt contraria. Jam vero in mundo, quacunque id fiat ex causa, creaturæ creaturis subinde contrariæ sunt, in specie inter hominem & reliquas creaturas tanta est discordia, certe tanta non est harmonia, ut quis sibi persuadeat, posse sine violatione φιλανθρωπίας hominem inferioribus creaturis sese mancipare. Infiniti quotidie casus offeruntur, in quibus homo homines *rationaliter amans* occasionem invenit, pro eorum commodis ac salute omnem suam pecuniam atque facultates quæ ex inferioribus creaturis consistunt, periculo exponere, earumque jacturam facere. Ac *voluptuosus* quidem & *ambitiosus* paratam pecuniam suam omnesque facultates suas voluptati ac gloriæ suæ potissimum impendit, imo voluptatem & gloriam suam cunctis anteponit hominibus, ita ut omnes homines cum hisce commutare non erubescat, unde etiam amor eius irrationalis est; sæpe tamen accidit, ut cum eorum voluptate vel gloria multorum hominum emolumenta sint conjuncta, in quorum salutem non tantum opes facultatesque suas, verum etiam valetudinem, imo vitam periculo exponunt. Cum ava-

avarus pecuniæ opumque acquirendorum causa non solum omnes homines deserat, sed etiam in hisce consequendis, licet revera ei nil prosint, sed manifeste sint superflua, parentes, uxorem, liberos omnesque in universum homines prodat, & hoc intuitu ad communem tranquillitatem externam in humana conversatione adhuc magis sit inidoneus quam voluptuosi ac ambitiosi.

19. Porro quod *cor avari se quibuscunque creaturis inferioribus mancipet*, cum ex propria experientia, tum ex ipsa rei natura, licet avaritia in sola φιλαργυρία quæreretur, demonstrari potest. Præbe avaro quicquid vis, nihil ex omnibus repudiabit, domum, agros, pecora, merces, suppellectilem, artefacta, imo & in fimeto lintea lacerata, pomorum cortices, schedulas, & huiusmodi quisquilias ab aliis abjectas pedibusque calcari solitas, colligit. Ita nimirum pronunciat: Bonum oeconomum acus tollendæ causa tres sepes transscendere oportere. &c. Omnes quæ extra hominem sunt creaturæ pretio parantur, (pecuniæ enim usus in eo consistit, ut aliæ creaturæ variæ, solo excepto homine, ea comparari queant, etsi hominum malitia hunc usum in abusum converterit, ut etiam homines, certe hominum corda vel externæ eorum actiones pecunia emantur.) Ita vero avarus quascunque alias creaturas amat, quia in pecuniam eas convertere, vel harum possessione pecuniam retinere potest.

20. Og-

20. Oggeris: At plures dantur homines qui e. g. *canes, feles, equos magis amant quam pecuniam*, quique cane &c. sibi donato magis delectantur, quam si quis ingentem pecuniæ summam ipsis daret. Sed bene hic observandum est, primum non omnia esse vera, quæ homines de seipsis affirmant. Sæpe avarus ejusmodi de se prædicat, *ne avarus videatur:* Sed examina eum modo, & præbe ei tantum pecuniæ, quanti res illa carissime æstimata venderetur, & vide annon rem illam rursus cum pecunia commutaturus sit. Deinde distinguendum tibi est *inter avarum qui voluptatem ac ambitionem in exigua dosi habet, & avarum qui insignem habet mixturam voluptatis & ambitionis.* Si verum est, quod avarum cane vel equo donato magis demulceas, quam pecunia, certe id voluptati vel ambitioni ejus explendæ debetur; sed *avaræ voluptati*, & *avaræ ambitioni*, non in hac solum consideratione, quod eiusmodi creaturæ ipsi a te donantur, nec proparata pecunia eas emere cogitur, cum voluptuosus ac ambitiosus eas emptas malit quam donatas; sed & ideo, quod eas vult ad talem voluptatem vel ambitionem adhibere, quam voluptuosus vel ambitiosus summopere abhorreret. Decorum prohibet, ne rem clarius exprimam, item prudentia, quia multi qui coram mundo occœcato in autoritate versantur, ac vitia sua etiam coram prudentibus occultare conantur, his rebus dediti sunt. Sed perlege saltem præ-

præsens caput integrum attente, & intelliges quid velim.

21. Nec opus tamen est, ut ideo *avaritiam per se in tot distinctas species dispescamus, quot sunt creaturæ homine inferiores*: sed Amor creaturarum si amori hominum prævalet, indicium saltem præbet, hominem illum habere multum avaritiæ. Proprie tamen *omnis avaritia in pecunia* quasi *concentratur*, quia pecunia omnia comparari possunt, & quia hac ratione avaritia centrum est, in quo omnes creaturæ, quoad pretium, concurrunt. Unde non solum affectui hoc *nomen avaritiæ inditum est*, verum etiam apud eos, in quibus avaritia reliquis passionibus in *sublimi gradu* superior est, animadvertitur, quod *soli damnatæ pecuniæ* inhient, ut eam custodiant, in eaque servanda frigus, famem ac sitim tolerent, aliisque bonis destituti vivant. Ubi autem *nullus usus est pecuniæ*, & quibus in locis permutatio mercium loco emtionis ac venditionis invaluit, ibi cor avari in terram ruere necesse est, ex qua aurum effoditur, item in ea, quæ ad telluris usum requiruntur, in *agriculturam* nimirum & *rem pecuariam*. Fateor tamen, me non tam accurate naturam auri atque argenti cognoscere, ut certi aliquid pronunciem, *animusne avari naturaliter magis in aurum argentumque ruat, quam in alias creaturas, vel etiam in alia metalla* aliasve materias, v. g. corium, cortices arborum &c. quibus loco auri & argenti olim.

olim, ac alibi usi sunt, & etiamnum utuntur; Istud certe demonstratum est, hominem, nummos ex purissimo auro vel argento amare præ aliis ex alio viliori metallo cusis: Item teneellum infantem, qui affectus secundarios avaritiæ conjunctos alio modo significat, ad auri vel argenti conspectum præ gaudio tripudiaturum; Certo tamen pronunciare non possum, annon istud nitori ac splendori metalli hujus bene politi potius tribuendum sit, quam naturali occultæ attractioni ipsius rei essentiæ: Experimentum faciendum esset, num infantes nummos orichalceos politos manu exporrecta æque apprehensuri sint ac aureos, sed & aliæ plures circumstantiæ ibi observandæ, ne judicium præcipitemus, quod Judicibus in quadam urbe Græciæ olim accidisse legimus, qui infanti qui coronam auream de altari abstulerat, experimenti gratia, an ex malitia istud fecerit, inter alia crepundia puerilia coronam etiam projecerunt, cumque infans hanc neglectis crepundiis arripuisset, eum tanquam sacrilegum ordinario sacrilegii supplicio affecerunt.

22. Quomodo autem voluptuosum, item ambitiosum ab avaro adhuc accuratius discernam? cum manifestum sit, quod *voluptuosi ac ambitiosi plerunque etiam pecuniæ æque inhient.* Credo enim inter fures & impostores, si non plures, certe totidem voluptuosos & ambitiosos, quam avaros inveniri. Hujus quæstionis decisio nobis ostendit, quod supra dixerimus,

mus, avaros elaborare ut tranquillitatem suam *per propriam possessionem pecuniæ opumque consequantur.* Ergo proprie *privatum rerum dominium anima & vita est avaritiæ.* Intima rei alicujus cum alia re unitio requirit privatum dominium: Nam quodcunque multis rebus, iisque distinctis nec iam inter se unitis, commune est, id nulla ratione cum illis potest esse unitum. Quapropter amor non patitur rivales diversos atque contrarios. Quodcunque amamus, eius nobiscum unitionem quærimus. Avarus omnes creaturas inferiores amat, ergo unitionem sui cum illis quærit. Avarus nullum hominem amat, ergo pati non potest, creaturas quas amat, aliis esse communes. Inde thesaurum suum opesque suas custodit, & vigili cura servat, ne quis ad ea accedat, & vel minima usurpatione eorum communionem sibi vendicet: Quibus si privatur, dolore magis afficitur, quam homo rationalis, si ipsi vulnerato brachium vel crus abscindatur.

23. Ex adverso *virtuti deditus* non repugnat, quin omnes ejus facultates aliis sint communes, non amat enim facultates, ideoque cum illis unitus non est: Ac tametsi eas odio non habeat, cum aliis tamen amore unitus est, ideoque gaudet facultates suas his, quibuscum ipse unitus est, communes esse. *Voluptuosus* & *ambitiosus* similiter cum pecunia opibusque non sunt uniti, quia hæc non amant. Ac etsi hæc non oderint, quia pecunia opibusque sæpius

pius indigent, is tamen usus non præcise requirit dominium, æque ut dominium priuatum non requiritur ad usurpationem v. g. horti inter sex fratres aut plures se mutuo amantes. Voluptuosus item ambitiosus, etsi ipsis bona sua furto auferantur, cito damni obliviscuntur, si sciunt, amasiam suam, sodales, Principem suum victum vel bona alia adhuc habere parata. Imo quod ab aliis voluptuosis ac ambitiosis delectationem & honorem expectant, ipsi se non inviti privatis bonis privant, eaque aliis ut propria concedunt, a quibus se delectationem atque honorem sperant consecuturos.

24. *Avarus* tamen *in hac etiam quæsita unitione ac privato dominio pejori loco est, quam omnes alii homines cum rationales, tum irrationales.* Nam *virtuti deditus* scit, impossibile esse, ut alter virtuosus ab alio quocunque non virtuoso sibi possit auferri: Scit, virtuosum non quæsiturum, quemadmodum unitionem inter se & amicum dilectum separet, sed eandem potius unitione proprii cordis cum ambobus confirmet. *Voluptuosus* item *ambitiosus* non magnam equidem in corda amicorum voluptuosorum ac ambitiosorum possunt habere confidentiam; *Voluptuosus* tamen scit, alterum voluptuosum non facile vinculum ipsorum amicitiæ separaturum, sed cum ambobus potius, tanquam voluptuosis sese conjuncturum, ambitiosum vero, item avarum non magnopere curatu-

raturos, quemadmodum ipsi amicum voluptuosum abstrahant, amicum etiam suum voluptuosum parum expetiturum, ut ipsum deserat, ac ambitioso, minus adhuc avaro adhæresat. *Ambitiosus* scit quod avarus, item voluptuosus, non curabit, quomodo cor amici ambitiosi ab ipso avellat; Scit, quod amicus ambitiosus ab ipso ad voluptuosum vel avarum non sit transiturus. Adeoque ipsi ab alio ambitioso tantum est cavendum, eoque astutia sua elaborandum, ne alter scopum suum assequatur. Sed *avarus* primum nullam plane confidentiam in nummis suis, equo, cane &c. habere potest. Nam cor ejus pecuniæ quidem opibusque adhæresit, sed pecunia & facultates corde carent, quod ipsi vicissim adhærere queat: Ac licet equus, canis &c. assuefieri possint, ut fidelitatis aliquam speciem induant; hoc tamen avaro deest, quod ob tenacitatem illos eidem non assuefaciat. Deinde non sine ratione ipsi metuendum est, ne voluptuosi, ambitiosi atque avari pecuniæ opibusque ejus ob diversas causas insidias struant, ipse vero parum est idoneus, qui se adversus illos defendat, ne videlicet alter quidam avarus ipsi bona sua surripiat, ambitiosus astutia superet, & voluptuosus e. g. canem eius cui nil præter ossa præbet, carnis frusto porrecto ad se alliciat.

25. Quæ præterea ad confirmandam thesin, *quod anima avaritiæ in appetitu dominii bono-*

rum consistat, adferri possent, jam in priori parte Ethices nostræ, ubi de plenaria communione bonorum (d) egimus, fusius tractavimus. Et ad maiorem ibidem demonstratorum confirmationem, quod nimirum plenaria ista comunio sit pars necessaria amoris rationalis, præsens observatio, avaritiam esse matrem dominii bonorũ, multum conducet.

26. Dixi modò, avarum esse omnium miserrimum, & parum idoneum ad cavendos voluptuosos ambitiosos. Nam *debili est judicio, atque ingenio*, dum omnia, quibus intellectus eius reliquis prævalet, in *præstanti memoria* continentur. Jam vero sapientes unicum drachma judicii, si utilitatem spectent reipublicæ, pluris æstimare solent, quam totam libram memoriæ. *Avarus* magis cogitat de *præteritis*, quam de præsentibus, vel futuris. Per præterita hoc loco ea intelligo, quæ jam (in præterito) acquisivit, licet ea præsens adhuc possideat. Non potest enim semper loculo insidere, multo minus, si diversa bona possidet, in omnibus locis simul præsens esse, adeoque necesse est, eum sæpius corpore ab his *abesse*. Jam vero in Philosophia, absentia, certa ratione modo præteritis, modo futuris annumerantur, certe præsentibus opponuntur, avarus autem, ob spiritualem unitionem cum pecunia ac opibus suis, semper cogitat de absentibus; Mox etiam præsens his

(d) P. 1. c. 6. §. 82. seq.

his adesse desiderat, sicut omnibus iis libenter adsumus, quæ amamus, metuit ne ea sibi auferantur, adeoque, si possibile esset, omnia ista collo suo appenderet, & secum circumferret, vel in tot partes se divideret, quot bona possidet, ut ubique omnibus præsens adesse queat. Quod cum sit impossibile, eorum *summam*, *qualitatem & ordinem memoriæ suæ firmiter imprimit*. Quantum ad pecuniam, cerebrum ejus viva quædam Arithmetica est, cujus ope scit, quales in quocunque sacco habeat monetarum species & summas, quantum unicuique debeat, & quantum alii ipsi debeant, ut difficile sit ipsi vel teruncium furari, vel in tantillo eum defraudare, ne id animadvertat. In *bonis immobilibus* exacte scit, quot in ædibus suis contineantur conclavia, imo foramina & anguli. Cerebrum ejus vivum est inventarium sive fundi instructi, sive cum instrumento: *Nulla* tam vilis est *supellex* in domo, *nullus libellus* tam minutus in bibliotheca sua, quæ non habeat in numerato. Et ne his memoria ejus turbetur, cuncta *suo ordine* oportet esse reposita, ac cum forte usurpata fuerunt, (etsi hoc raro accidat) singula in suum locum accurate reportanda sunt. Agrorum suorum *cunctas* novit *perticas*, omnia eorum *confinia*, omnes *oves*, *agnos* & cæteras pecudes. Et quoniam, ista ordinem suum semper servare nequeunt,

sicut bona immobilia, ea quorum beneficio ista a se invicem discernere potest, firmissime memoriæ suæ imprimit. v.g. figuram, quantitatem, coloresque eorum, ac sicubi tales notas in natura non deprehendit, ipse sibi per certa signa *subsidia* format *mnemonica*, ac cupido ejus artem Lullisticam ipsi subministrat. Atque hac exercitatione, in qua assidue versatur, memoriam suam mirifice exercet, eamque ad insignem excellentiam perducit.

27. Vicissim *judicium eius est imbecillius*: nam quo plus memoriæ accrescit, eo minus accrescit judicio, quia non excolitur, & homo duo simul cogitare nequit. Iudicium ejus in eo potissimum consistit, quod novit, bis quatuor plus esse quam bis duo, & quod eorum quæ possidet scit differentias: Sed *præsentia eorumque differentias* observare, avaritia prohibetur. Avarus ægre rem aliquam emit, sed mavult sibi aliquid donari. Eorum autem, quæ dono accepimus, pretium non est scisitandum, ac si quis inter plura ex quibus ei aliquid dono offertur, optimum semper eligere velit, non solum rusticitatem saperet, quod opprobrium equidem avarus parum curaret, sed verendum etiam ipsi esset, ne res desiderata sibi negetur, vel alii non facile ei aliquid donaturi essent. Si omnino aliquid emit, non eligit ea quæ sunt optima, sed quæ vilissimo pretio veneunt, adeoque judicio suo parum occasionis præbebit exercendi se in rebus ad

mer-

mercaturam pertinentibus. Alia subtilia, quibus ambitiosus judicium suum acuit, (e) item utilia, quibus virtuti deditus judicium exercet, (f) avarus vix cogitat. Dum cum nemine amicitiam inire, nec ullius cor lucrari quærit, judicium suum non exercet, neque in praxi virtutum ad veram amicitiam pertinentium, neque in indagatione veritatum ex possessione virtutis derivatarum, minus adhuc in operoso illo decoro, hominesque tanti non æstimat, ut curet, quemadmodum conformatione actionum suarum eorundem actionibus se attemperet, eorumque favorem ambiat.

28. *Ingenium etiam avari magni non est momenti, imo adhuc imbecillius ejus judicio.* Istud enim in nulla re alia exercet, nisi in eligendis ac disponendis nummis. In aliis opibus tantum occasionis ne invenit quidem, ut similia similibus associet, nisi quod forte intelligit, quæ semina quibus agris conveniant, quænam pecudes in hoc vel illo campo optima pascua inveniant. &c. Ad inventionem rerum, animum hominis vel virtuose vel voluptuose delectantium plane ineptus est, quia intellectum suum in rebus inveniendis nunquam exercet. Quare nil magis est naturale, quam avarum ad nullam rem magis esse ineptum, quam ad elegantia ac nativa poemata elaboranda: Hinc nimirum evenit, ut avarus

(e) cap. 10. §. 28. (f) cap. 8. §. 5.

in hominum conversatione discursum continuaturus, plerumque impertinentia proferat, certe obtorto quasi collo eo reducta, & longissime quæsita, etsi vulgatis connectendi formulis utatur: Sicut aliquando &c. Venit mihi hic in mentem, &c. Quibus omnem gratiam perdit, quantumvis res alias per se notatu dignas, utiles & curiosas in medium afferret, conversationis nimirum vita quasi in conformitate cogitationum, ac in variatione parum sensibili consistit: nisi quis in admiratione rerum mire coactarum, ac in inimitabili absurditate delectationem suam forte inveniat, quale scripta e. g. Patris Abrahami de Sancta Clara legentibus evenire solet.

29. Ex dictis jam facile intelligitur, *avarum quâ talem non magnopere quidem ad studia esse proclivem, nec a studiis tamen abhorrere*, eaque aversari. Studia vero non sectatur *jucunditatis* causa, nec ut ad *dignitates* evehatur, sed ut ex iis ditescat, nam cum lucrum inde expectat, *laboriosissimus* est, nec grave ei est noctes diesque *libris incumbere*. Ad *meditandum* autem ob defectum judicii atque ingenii parum est idoneus, sed ad *ediscendum*, ad locos communes comportandos, ad describenda collegia, ad multam lectionem, &c. Aptus est ad lectiones suas quoad sensum literalem memoriter recitandas, & ad ea quæ legit facile retinenda, ad dicta, Leges, medicamentorum formulas, sententias ac loca integra ex autoribus in omnibus facultatibus memo-

moriter tenenda, ad capita, versiculos, titulos, leges, quoad numerum sine confusione exacte notanda, idoneus est qui quasi in numerato habeat & cum admiratione calleat in Chronologia ac Genealogia numeros annorum, item nomina propria rerum ac personarum, quo quodque tempore gestum sit, quomodo familiâ se excipiant, & affinitate mutua se attingant. &c. In libris conscribendis prolixus est, eosque digressionibus crebrisque allegatis, sententiis Poëtarum, Oratorum, Patrum, Philosophorum exornare didicit. In illa tamen copia & prolixitate sua sæpius obscurus est, nec bonus methodicus. &c.

30. Porro quod vitia attinet, quibus avaritia a vera virtute, item a qualitatibus voluptatis & ambitionis discernitur, in *avaro loco taciturni candoris, qui penes virtutem est, dolosum mendacium cum simulatione conjunctum deprehenditur.* Per id intelligo *vitium, quo avarus impellitur, ut erga alios amicitiam & fidem simulet, odium vero ac immicitiam vel defectum amoris sui dissimulet, veritatem pervertat & ejus loco mendacio assuescat.* Avarus neminem amat, ideo nemini quoque confidit, sed omnes metuit, eosque simulatione sua decipere conatur, quo pecuniam opesve ab illis consequatur. Amat autem reliquas omnes creaturas, cogitatque alios sibi similes esse, & creaturas has æque ac ipsum appetere. Is metus ac diffidentia eum ad si-

mulationem, dissimulationem atque mendacium impellunt, & defectus amoris erga homines vires ipsi suppeditat propositum suum ad praxin deducendi. Virtuti deditus tacet ex amore; ambitiosus ex metu opprobrii: voluptuosus interdum tacere equidē vellet, sed a voluptate tacendi facultate sua prohibetur, quam virtus virtuosis & φιλοτιμια ambitiosis præbet. *Avarus* autem amorem in se non invenit, qui eum ad *reticenda* aliorum mysteria impellat, vel vires ei suppeditet. De pecunia quidem, suisque rebus tacet, si vero aliorum negotia reticere debet, pecunia emenda ab ipso est illa taciturnitas. Iam si quis ei plus offert vel donat, huic ista credit mysteria, & fit proditor. Ipsius ergo fidelitati nemo potest confidere, cum nullam habeat. Virtuosus porro candidus est ex amore, voluptuosus ex temeritate & imprudentia, ambitiosus ne candidus & sincerus sit, ambitione sua impeditur, quia virtutem hanc pro defectu habet, dissimulat ergo, & veritatem reticere valet. *Avarus* autem dum credit *apertam sinceritatem* sibi incommodare, eumque pecunia opibusque suis privare, vel lucrum speratum impedire, longius progreditur quam ambitiosus, (adeoque virtuti ac voluptati hactenus magis est oppositus) quia præter dissimulationem etiam simulat, & præter celatam veritatem mendacio quoque studet, id quod ambitiosus indecorum ac turpe existimat.

31.

31. Virtuosus amicis pecuniam & facultatas suas libenter impertit: Voluptuosus eas in compotatores & scorta sua confert: Ambitiosus aliorum de se existimationem iis vult mercari. Avarus *tenax* est & *in solvendo difficilis*, eaque *immisericordi tenacitate impellitur, ne pecunia opibusve suis ulli homini, quantacunque sit in miseria vel egestate, gratis opituletur.* Virtuosus misericordia afficitur, homine vel ignoto in miseria & egestare conspecto: Voluptuosus elemosynas promiscue quidem non erogabit, erogat tamen junioribus iisque non deformibus mulierculis, item vulneratis, incendia passis, non invitus, quia tales personæ voluptuosam eius misericordiam provocant, denique aliis etiam quibuscunque dat, ne eorum lamentationes ac querelas diutius audire cogatur: Ambitiosus non facile quidem aliena miseria ad commiserationem movebitur, non est tamen immisericors, & dat elemosynas ut laudetur, nec culpetur. Sed *avarus* in corde suo super maximis aliorum calamitatibus *motum nullum* sentit, quia nullum aliorum amorem in corde habet. Non curat an ab aliis laudetur, an vero vituperetur, novit quod pecunia nobilitet, & quod diviti etiam eruditi blandiantur, quodque ipsi quantacunque sit tenacitate, hæredipetæ adulentur, ejusque favorem ambiant. Potest vulneratos, incendium passos, ægrotos, imo homines miserrimos absque ulla commiseratio-

ne aspicere atque audire, sed loculo ejus combusto, cane ejus crurifragium passo, equo ejus vulnerato &c. *corde angitur & excruciatur*, nam anima ejus his rebus adhæresçit. Novit adulatores nihilominus adfuturos, qui eum ideo laudabunt & ut virtuosum proclamabunt, qui etiam pecoris sui misereatur: Nihil gratis expendit, nil fortunæ committit, eoque ipsi suæ cupiditati incommodat, ut nihil lucretur. Et quis avaro multa donaret, cujus nullus, nisi post mortem ejus usus est. Nihil etiam, mutuo dat absque sufficienti assecuratione, ac census receptione. Est insignis fœnerator & fraudator, qui pauperrimis ac necessitate pressis pignora sua, & si quid ipsi mutuo dederunt, capitales summas una cum censibus fraudulenter abstrahere non erubescit.

32. Virtus erga quoscunque est humana. Voluptas nimia est in servili submissione, Ambitio denique multos tanti non æstimat, ut humanitatem illis exhibeat, quia seipsum maximi æstimat. *Avarus* hic utroque vitio & voluptate & ambitione, alia tamen ratione, laborat. Quomodo enim ipsi inesset æquanimis humanitas. cum hominem nullum amet? Siqua apud eum est *humanitas*, canibus eam tribuit, & aliis hujusmodi creaturis. Quam demulcent se mutuo hæ bestiæ, si avarus v. g. canem suum per aliquot dies non videt, quomodo alter alterius sputum lingit? Similis simili gaudet. Si *avaro*

omnia

omnia prospere succedunt; si divitiis fruitur; quam *stolide tumidus* est? omnes tractat pro imperio. Non putat sibi aliquid posse præter spem evenire. Ipse agit omnia, facit omnia, possidet omnia. Nil ipsi deest, quia animum perpetua vicissitudine in copiosissimis bonis suis oblectari potest. Sin adversa utitur fortuna, si domus ejus incendio conflagravit, &c. quam submisso est animo? quantum se inflectit coram iis a quibus eleemosynas quærit: Si ambitiosus in prospera fortuna elato animo est, certe adhuc magis avarus. Si voluptuosus serviliter submissus est, ea submissio apud avarum ipsa est *mendicitas*.

33. Vacat enim avarus patienti quoque animositate quæ est penes virtuosum, ac ineptus est, ut calamitatibus animose obnitatur, easque patienter ferat: Quando calamitate obruitur, æque *pavidus* est & *impatiens* ac voluptuosus; Avarus omnis animositate caret, *metus* vero est communis qualitas cum voluptatis, tum avaritiæ. Cæterum simulatio avari metum illum occultat, nec querelis & verbis eum manifestat, ut voluptuosus. Colorem saltem mutat & pallescit: Impatientiam suam sub consveta sua mussitatione occultat. Indignatur in ærumnis æque ac ambitiosus, sed furor ejus non ita prorumpit in extremum suum. Ac tametsi cor ejus ebulliat indignatione & metu, ore tamen ridet, & amicitiam simulat, hinc *avari*

ri proprium est, quod sit insidiosus. Quod si vero malum declinare potest, furor hactenus suppressus & occultatus prorumpit. Voluptuosus gaudet, si a malo sese liberavit, & hoc agit tantum ut istud declinet, ne redeat, non autem illud oppugnat. Ambitiosus furibunda temeritate malum adoritur, quamdiu hoc ipsi obluctatur: Ubi autem illud superavit, turpe putabit, contra sævire. Sed avarus omni malo fucatis blandimentis occurrit, si autem istud valet subjugare, *furorem suum prorumpere sinit, bacchatur in ligna etiam & lapides, item in bruta animantia &c.*

34. Jam qualis est in omnibus periculis, ita etiam, quoad *Iram* suam erga hos qui eum lædere volunt, vel jam læserunt, a virtute, voluptate ac ambitione dissidet. Virtuosus plane non irascitur, sed futuræ offensioni animose occurrit, eamque absque indignatione, quantum potest, declinat. Quam si vel maxime evitare non potest, patienter fert, nec de vindicta cogitat, magnanimitate sua potius impellitur, ut lædenti non solum, etsi posset, non incommodet, verum etiam benefaciat, ab eo non rogatus. *Avarus* autem *si offendatur, meticulosus est*, neque enim injuriam commode declinare potest, *sentitque eam* & indignatur cum offenditur, & quia amorem erga nullum hominum prius habuit, non potest non injuria ipsi illata indignationem ejus ac *odium* excitare, *quærit vindictam*, & cum fucatis amicis suis non

non benefaciat, quomodo erga lædentes magnanimitatem exerceat? Voluptuosus injuria illata facile movetur, & hinc sensum injuriæ difficulter dissimulare potest, sed indignatio ejus mox remittit, & quod non agit in primo fervore, postea certe omittitur. Sed *avarus* non ita quibuscunque injuriis equidem ad iram facile commovetur, quod si autem omnino irascitur, *iram suam affabre dissimulat*, cavetque ne in primo motu aliquid designet, diutius autem injuriam memori mente reponit. Ambitiosus ira plane accensus est, nec prius quiescit, quam injuriam vi manifesta ultus est. Sed Avarus lento quasi occultoque igni correptus est, qui in flammam non prorumpit, sed velut sub cineribus occulte ardet. Ne vi externa utatur, nimio metu prohibetur, sed per consuetam simulationem aptissimus est, ut hostem blandis verbis securum reddat. Atque hanc quidem qualitatem supra in tabula, clandestinum vindictæ studium nuncupavimus.

35. Voluptati Avaritia adhuc magis opposita est, quam virtus & ambitio. Primum enim voluptas est temulenta, vorax ac libidinosa. Virtuosus sobrius quidem est, temperans & castus, panem tamen suum edit in gaudio, bibitque cum jucunditate ad recreandum corpus suum. Ac etsi vel maxime alienus esset à matrimonio, non tamen est μισόγυνος & sexui fœmineo pro occasione sinceræ amicitiæ officia exhibet: Ambitiosus longius quidem

dem excedit, laboribus se obruit, cibo ac potu parce utitur, ut ambitioni suæ satisfaciat, nonnunquam tamen se recreat. Libidinem voluptuosorum turpem putat, & in universum matrimonium damnum atque impedimentum afferre censet, ambitiosi tamen amoris capax est. Contra *avarus non edit quantum ad famem sedandam opus est, rodit ossa velut canis*, & melancholia ejus ipsi hilarem potum non concedit, Homines in universum non amat, *sexum fœmineum* vero *odit*, quod metuit ne ipsum amore suo ab aliarum creaturarum amore abstrahant, vel pecunia opibusque exuant. Et quia canes aliasque bestias plus amat, quam homines, facile inde intelliges, eum turpissimis ac nefandis vitiis magis deditum esse, quam scortationi.

36. Par ratio est *Expensarum quæ in nosipsos conferuntur.* Parca virtus parum in proprios usus expendit, sed opes superfluas pauperum necessitati tribuit. Prodigalis voluptas excedit modum in sumptibus in se & alios. Parca Ambitio parum quidem, plus tamen quam virtus, in suas necessitates expendit, in alienas vero, ut se his sumptibus evehat. Sed avarus sicut erga omnes homines immisericors tenax & difficilis est, ita *erga seipsum est nummilegus, qui seipsum deserit*, honestam vestem sibi non comparat, nec supellectilem necessariam, nec pecori suo, quod amat, de propriis pabulum sufficiens præbet, pingues carnes

sibi

sibi donatas in macellum mittit in pecuniam convertendas, inter epulas cum domesticis suis de nulla alia re, nisi de temperantia sermocinatur, sententias omnes de temperantia agentes mirifice extollit, prodigalitatem magno Zelo insectatur, & voluptuosorum turpitudinem vivis coloribus depingere novit, &c.

37. Porro licet supra in tabula *avaritiæ* etiã *laborem asininum* tribuerim9, hoc tamen recte & cum certa conditione intelligendũ est. Virtuti deditus laborem suum moderata recreatione temperat, Voluptuosus inimicus est laboris, Ambitiosus vero nimis laborat. Sed avaritia *per se indifferens est*, ita ut secundum affectum cum quo temperatus est, *tam ad otium, quam ad laborem idoneus* sit. Si pecuniam opesque jam acquisivit, *non est adeo magni res laboris*, nummis suis assidere, illosque numerare, in villa sua passim circumambulare, ac videre, an omnia integre adsint, an omnia debite & fideliter agantur. Hoc tamen non est otium voluptuosi. Sin pecuniam ac opes nondum conquisivit, vel augere illas desiderat, avarus adhuc alia diteſcendi media habet, quam solum laborem. Virtuosus, imo & ambitiosus ab aliis doni loco aliquid sibi petere erubescit. Voluptuosus donando facilis est, nec magnopere eum pudet, vicissim aliquid emendicare, quando ejus rei indiget. *Nec avarum etiam mendicare pudet*, modo spem habeat aliquid accipiendi, imo *avarum non pudet furari*, vel per nefas aliquid acqui-

quirere. Itaque si in rerum omnium abundantia, potentia ac dignitate constitutus est, clientibus suis belle novit significare, quid ab illis *sibi donari cupiat*, meretur *nomen furis* præ his qui suspenduntur, defraudat artibus furtivis Principem suum vel rempublicam, monetam, vel participat cum falsis monetariis, metu tamen sæpe impeditur, ne mendicet nec furetur. *Mendicandi artes* non semper ei bene succedunt. Quis enim homini qui nemini gratis aliquid dat, gratis aliquid dabit? Non semper habet potentiam nec autoritatem, & tunc metus ejus, cum audacia careat, eum *a furto abstrahit*, vitam enim suam cariorem habet quam ut periculo eam exponat. Ergo *necessitate ad laborandum* compellitur, quo istud sibi acquirat, quod non habet, tam perdite vero amat: In laboriositate autem sua ad longe alium modum se applicat quam ambitiosus. Ambitiosus enim corpore etiam laborat, dum illud crebris vigiliis, temperantia, itineribus, &c. fatigat atque enervat, sed maxima pars laboris ejus est capitis, minima manuum, dumque plus gloriæ quam pecuniæ lucrari studet, eaque ratione ancipiti eventui multum committit, sæpe his ausis ingentes pecuniæ summas maximasque facultates rursus cum fœnore lucratur. *Avarus* vero ob defectum judicii & ingenii non multum *capite laborare* valet, sed labore *manuali*, vel alio ejusmodi *vili ac operoso labo-*

re

re desudare cogitur, & quia præ nimio eoque stolido amore propriæ pecuniæ & fa ultatum fortunæ nihil committit, parum etiam & raro plus quam operarius lucratur, donec per fas & nefas aliquid paullatim corradit, & hac ratione, vel aliis casibus extraordinariis ad potentiam ac autoritatem emergit. Atque hoc est, quod *operosum laborem asininum* nominavi.

38. Denique, sicut Voluptas & Ambitio suas quasi filias habent, ex essentia sua genitas, illa videlicet Ignaviam & Otium, hæc excandescentem vindictæ cupiditatem; ita *filiæ Avaritiæ est Invida ἐπιχαιρεκακία.* Avarus nullum amat hominem: Omnem simul pecuniam, omnesque facultates habere desiderat, licet eorum non indigeat, neque ea usurpare sciat, parum enim his utitur, imo plane non utitur. Jam *Invidia est appetitus tristitiam excitans super aliorum prosperitate, etsi hac non utamur, neque fruamur.* Quodcunque nos contristat, illud impedimus, quando adhuc futurum est, & si præsens est, amoliri conamur, ut tristitia desinat. *Primus* itaque *Invidiæ effectus* est, quod *avarus quoscunque homines*, ne *amicis* quidem exceptis, *impedit*, ne pecuniam opesque consequantur, quantumvis simulatione sua quoad externam speciem illis ad has obtinendas commodare videatur. Et sic pejor est cane, qui cum in fœno jaceat, quo vesci non potest, taurum tamen impedit ne eo vescatur. Canis enim taurum allatrat, ut cavere sibi ab

eo possit. *Alter effectus est, quod avarus super alterius calamitate*, inprimis si pecuniæ opumq; jacturam faciat, e. c. si ædes ejus incendio conflagrent, si furtum patiatur, quatenus invidâ sua tristitiâ per hoc liberatur, *exultat*. Ergo invidi hominis ἐπιχαιρεκακία *non est gaudium tripudians*, quale est voluptuosorum, nec quale est gaudium proprium super acquisitione boni, sed *gaudium tacitum*, cuiusmodi est omne gaudium, super privatione mali, v. g. morbi dolorifici, vel contumelioſæ injuriæ &c. conceptum. Vellet equidem omnem pecuniam opesque possidere; at cum hoc sit impossibile, jam dimidium consolationis sibi videtur adeptus, si alius hæc non possideat. Similis est meretrici, quæ coram Solomone super vivo infante altercabatur, ac se his verbis consolabatur: Nec meus sit, nec tuus.

CAPUT XII.

DE QVALITATIBUS AFFECTUUM, E MIXTURA TRIUM VITIORUM PRINCIPALIUM ORTIS.

SUMMARIUM.

Introductio ad doctrinam huius Capitis per simile de coloribus, eorumque mixtura n. 1. id quod generaliter ad mixturam Affectuum applicatur. n. 2.

Ex

Ex insigni mixtura voluptatis & ambitionis non nisi virtutes apparentes oriuntur, quæ veras virtutes ex amore rationali derivatas in omnibus imitantur. n. 3. Qualis forma sit voluptatis & ambitionis in mixtura prædominantis. n. 4. Item quando avaritia in dosi insigni ambitioni cum voluptate mixtæ se conjungit. n. 5. Quales e mixtura ambitionis & avaritiæ, sive hæc sive illa prædominetur, item si voluptas mixturæ insigniter accedit, affectus oriantur, & quomodo vulgo appellentur, nimirum prudens Taciturnitas & Dissimulatio. n. 6. Magnificentia, n. 7. Gravitas seu vulgo sic dicta Reputatio, & ars sese insinuandi. n. 8. phlegma singulare, & laudabilis Magnanimitas. n 9. sobria ac temperans castitas. n. 10. diligens prudentia œconomica n. 11. laboriosa vigilantia. n. 12. prudens iræ dissimulatio, usque ad tempus oportunum, quo prorumpat. n. 13. habilis officiositas. n. 14. celebris eruditio. n. 15. Denique e mixtura voluptatis & avaritiæ componitur miserrimum temperamentum, quod per omnes classes describitur. n. 16. Hæ mixturæ omnes, pro diversitate ætatum humanarum, diversissime se oculis repræsentant. n. 17. item pro diversa occasione conversationis, quæ infirmos etiam affectus fortiter irritat. n. 18. Quomodo differat passio dominans ab infima passione per occasionem fortiter irritata? n. 19. Crebra occasio parit consuetudinem. Hæc pro re nata in alteram naturam convertitur, vel eandem duplat. n. 20. Status & educatio plurimum ad consuetudinem contribuunt. Magnum tamen discrimen est inter alteram naturam è consuetudine ortam, & primam veramque naturam. n. 21. Variatio etiam bonorum fortunæ mixturis affectuum aliam prorsus formam induit. n. 22. Fortuna hominis non pendet a diversa habilitate diversoque intellectu hominis, e diversa affectuum mixtura

genitis. n. 23. dum paucissimi sibi occasionem ad explendos affectus suos pro lubitu procurare possunt, cum aliis occasio abunde quasi affluat, vel ipsi ea non utautur, 24. Etsi cuilibet nunquam justa desit occasio ad sua, & aliorum vera commoda promovenda. n. 25. Quod quilibet faber sit fortunæ suæ in vulgari sensu falsum, certo tamen modo verum est. n. 26. Discrimen inter ethnicam fortunam & divinam providentiam, item inter bonam & malam fortunam sensu ethnico hodiernorum Christianorum sic dictorum, & sensu rationali Ethnicorum acceptam. n. 27. Non protinus judicandum est de affectibus dominantibus, secundum externam speciem. n. 28. E diversa apparentia hominum diversorum Statuum non semper concludendum est ad diversas mixturas. n. 29. Regulæ politicæ de futura fortuna & infortunio hominis non sunt universales, nec sine exceptione. n. 30. E fortuna cum prospera tum adversa hominis de mixtura affectuum ejus judicari nequit. n. 31. Mixtura affectuum hominis naturaliter per totum eius vitæ cursum non mutatur. Præjudicia è quibus contraria sententia oritur. n. 32. An amor rationalis cum, voluptate, ambitione & avaritia etiam in unam eandemque mixturam coagmentari possit? n. 33. Omnis homo aliquid amoris rationalis in se continet. n. 34. Amor rationalis cum vitiis misceri non potest. n. 35. Omnis homo aliquid voluptatis, ambitionis & avaritiæ secum habet. n. 36. Amor rationalis apud omnes homines a tribus vitiis primariis captivus tenetur atque opprimitur. n. 37. Ita nullus vere virtuosus in mundo est. n. 37. In omnibus hominibus amor rationalis affectus infimus est. Causæ cur olim aliud statuerim. n. 39. Nemo vere aliquid boni agit, ubi voluptas, ambitio & avaritio sibi non aliquid vendicent. n. 40. In unoquoque homine

unum

unum ex tribus vitiis primariis dominatur. n. 41. idque vel insigniter præ reliquis duobus vitiosis affectibus eminet, ubi facile ab omnibus animadvertitur. n. 42. vel cum affectu succedente valde mixtum est, ubi difficilius cognoscitur. n. 43. Idque adhuc difficilius, si tertia etiam passio cum duabus prioribus insigniter mixta est. n. 44. Collatio trium vitiorum principalium, & mixtionum ex his emergentium intuitu suiipsius & aliorum. n. 42. 43. 44. Sex in universum sunt classes, ad quas omnium hominum affectus quoad ordinem suum reduci possunt. Harum quælibet innumeras sub se continet species intuitu diversarum proportionum mixturæ. n. 45. Hæ proportiones in praxi commode quæri possunt per exemplum divisionis hæreditatum in 12. uncias apud JCtos, i. e. per proportionem inter 1 & 12. vel per proportionem inter 5, & 60. quod fere eodem recidit, & in certis tantum casibus compendiosum est. n. 47. Usus supputationis diversi ordinis ac proportionum trium passionum, principalium tam in cognitione sui, quam aliorum hominum n. 48. Quorum postremum per exemplum fuse illustratur. n. 49. Regulæ politicæ utiles quidem sunt, sed non infallibiles. n. 50. Circa regulas vitæ politicas exceptiones a divina providentia factæ, accurate observandæ sunt. n. 51. Cognitio sui est unica porta ad cognitionem aliorum hominum, & aliorum hominum, & divinæ providentiæ. n. 52. Demonstratio, quod ordines affectuum humanorum nunquam mutentur. Affectus sunt Spiritualitates. Observationes de essentia spiritualitatum earumque potentiis in omnibus corporibus in genere. n. 53. In specie in animalibus, & sensibus externis. n. 54. maxime vero per sensus hominum. n. 55. Potest homo ope cogitationum suarum spiritualitatem affectuum suorum aliquandiu conservare, intendere atque augere. n. 56. Nimium

augmentum spiritualitatis corporis alicujus illud destruit. Et homo quotidie corpus suum, auctione voluptatis, ambitionis & avaritiæ destruit. n. 57. Ex his observationibus sit concluſum de perpetuo & æquali ordine affectuum hominis. n. 58. Responſio ad objectionem, occaſionem alios affectus impedire, alios concitare. n. 59. Vulgatus error contra hanc theſin, ejusque confirmatio per exemplum Sixti V. n. 60. Judicium de Theophraſti characteribus morum, & Barclaji icone animorum. n. 61.

1.

QVinque ſunt, ſecundum opinionem eorum, qui de coloribus ſcripſerunt, *colores principales*, è quorum mixtura alii colores, & ex horum mixtione rurſus alii innumeri oriuntur, quos peritus pictor bene intelligere, & a ſe invicem ſecernere debet. Hic vero non opus eſt, ut in informatione mixturæ omnes eidem oſtendantur, ſed ſufficit ut primum quinque colores principales, *album*, *flavum*, *rubeum*, *cæruleum & nigrum* recte comprehendat, ac deinde percipiat quomodo diverſa horum mixtura producat colorem *fuſcum* vel ſubcinereum, *incarnatum*, *cinereum*, *ſubalbum*, *ſubrubeum*, *ſubcæruleum*, *ſubfuſcum*, *viridem*, *aureum & purpureum*; propria inſuper meditatione experimenta inveniat, quales e mixtura horum 15. colorum, & ſic porro, colores emergant; ſimul autem bene obſervet, quod e diverſa mixtione duorum colorum, ſecundum proportionem mixturæ diverſi etiam colores oriri queant, (v. g. ex albo & nigro diverſæ ſpecies co-

coloris *cinerei* & *subrubei*, prout plus albi, vel plus nigri mixtioni accesſit, item in mixtura albi & cærulei, modo color *viridis*, ſi parum cærulei, modo *cæſius*, ſi parum albi mixturæ adhibetur) denique quod interdum colores ejusdem ſpeciei e mixtura diverſorum colorum prodeant, v. g. color cinereus ex albo & nigro, item ex albo & cæruleo, ſubrubeus ex nigro & albo, item ex nigro & flavo. &c.

2. Similis fere ratio eſt cognitionis diverſarum Affectuum ſpecierum. Licet tres ſint affectus primarii, quorum diſtincta qualitas rurſus appellationes novorum affectuum ſortita eſt; e diverſa tamen mixtura trium horum affectuum, & é diverſa proportione, quæ in ipſa mixtione obſervanda eſt, innumeri oriuntur affectus. Hos omnes indicare impoſſibile eſt, ſed hic quoque ſufficiet, ſi potiſſimas & *primas*, ut ita dicam, *mixturarum alterationes* mediocri ſtudio notemus, deinceps vero ulteriorem conſiderationem propriæ diligentiæ & attentioni hominis veritatis ſtudioſi relinquamus, eumque ſtatim in principio moneamus, quod ſicut *Metus* eſt fructus & *avaritiæ* & *voluptatis*, *Prodigalitas* tam ex *ambitione*, quam ex *voluptate* oriri, & *Crudelitas* æque de *ambitioſo*, quam de *avaro* prædicari poteſt, adeoque vitia affectus quosdam inter ſe communes habent; ita etiam e diverſa affectuum primariorum mixtura diſtincti affectus prodeant, e. g. e mixtura voluptatis cum

ambitione modo *morum suavitas*, sive moderatio, si voluptas inferior est, modo *hilaritas* cum voluptas est superior, &c.

3. Ac primum quidem mixtura *voluptatis* & *ambitionis*, si in æquali proportione est, gignit *temperamentum apparenter valde rationale*, adeo ut facile aliquis decipiatur, ut hanc mixturam *pro ipso amore rationali* habeat, quia uterque hic affectus amori rationali contrariate quadam oppositus est, hæc vero oppositio per mixtionem utrobique supprimitur, ut speciem virtutis extrinsecus repræsentent, sicut v. g. apud pictores mixtura lucis & umbræ, lucem diurnam, vel in genere imitatio naturæ res plurimas, tanquam vivas, repræsentat. Præcipitans Garrulitas voluptuosorum nimis est aperta, vicissim obstinata Reticentia ambitiosorum nimis taciturna. At si voluptas cum ambitione miscetur, temeraria præcipitans garrulitas ab obstinata reticentia & hæc vicissim ab illa supprimitur, ut *taciturno candori* amoris rationalis assimiletur. Turpis Prodigalitas cum voluptatis tum ambitionis, ambæ quidem a Liberalitate amoris rationalis in excessu dandi remotæ sunt, liberalitas tamen ad prodigalitatem propius accedit, quam ad tenacitatem, & in hoc saltem discrepant, quod liberalitas ac beneficentia ad omnes homines directa est, voluptuosa vero prodigalitas dissolutis hominibus, ambitiosa ambitiosis applicatur. Sed voluptate cum am-

ambitione temperata, ad *beneficam liberalitatem* proxime accedunt, quia tunc prodigalitas aliquando cautius, nec indifferenter, sed secundum stylum politicum erga fœminas magis honestas, sodales nobiliores, & erga egenos & oppressos magis exercetur. Servilis submissio voluptatis, & contemnens Superbia ambitionis similiter *Æquanimem Humanitatem* amoris rationalis in medio tenent. Sed in mixtione utriusque, mixtura ambitionis causatur, ne voluptas tam servilis videatur, item mixtura voluptatis, ne superbia ambitionis tam sensibilis, sed magis humana appareat, sicut Pavor voluptatis audaciam ambitionis parumper mitigat, audacia vero ambitionis voluptuosum parvorem animosiorem reddit, ut utraque ad *patientem magnanimitatem* amoris rationalis magis appropinquet, facile etiam intelligitur, quod mixtura voluptuosæ commiserationis, iracundæ quidem, sed cito etiam transeuntis, cum excandescente vindictæ cupidine ambitionis externam speciem *patientis fortitudinis* amoris rationalis induat. Et siquis temulentam ac voracem libidinem voluptatis suæ per Stoicam inediam & Insensibilitatem ambitionis suæ supprimit, coram hominibus ea apparet quasi *sobria & temperans castitas*, porro voluptuosa prodigalitas cum ambitiosa tenacitate mixta *virtuosam* refert *parsimoniam*, & vitia voluptuosi ignavi otii, & ambitiosi vigilantis laboris temperata *negotiosam*

sam alacritatem amoris rationalis repræsentant Semivoluptuosus idemque semiambitiosus idoneus est ad temperatam hilaritatem pariter ac gravitatem, & ad officia in utraque fortuna præstanda; in quo *hilarem officiositatem* imitatur. Denique *exquisito ingenio ac judicio* præditus est, quorum utrumque si adeptus est, excellens memoria in eo non admodum desideratur.

4. In hac mixtura si *ambitio* præcellit voluptatem, homo erit *taciturnior*, minus humanus, *magis fervidus*, *sobrius*, & *se cum habitans*, item *parcior*, *laboriosior*, *injuriæ magis impatiens*, nec facile pacabilis, magisque *gravis* atque *subtilis*, contra si *voluptas* ambitioni *prævalet*, homo est *loquacior*, *hilarior*, *ad iram tardior*, *jucundior*, *elegantior*, *magis magnificus*, *commodus*, *mansuetus*, *benignus*, ac *ingeniosus* ad nova consilia & inventa.

5. Denique si *avaritia* etiam propius accedit ad duas illas passiones dominantes, voluptatis & ambitionis, aut vice versa, tunc taciturno *candori* insignis tinctura de falsiloquio seu *mendacio* ac dissimulatione avaritiæ affunditur, quod mundus tamen sub pallio *prudentis circumspectionis* obvelare nititur: Apparens benefica liberalitas interdum cum immisericordia aliqua ac tenacitate permutatur, item apparens parsimonia cum aliquanta dosi nummilegii, quod mundus politicus *curiosam prudentiam oeconomicam* appellat: Apparens æqua-

æquanimis humanitas in prosperitate insigniter elata est, in adversitate quodammodo servilis, id quod *humanæ naturæ* tum tribuitur. Apparens patiens animositas aliquid de colore insidiosæ crudelitatis, & apparens patiens fortitudo aliquid de clandestino vindictæ studio recipit, id quod *generosa calliditas* appellatur. Apparens sobria & temperans castitas splendidiorem fucum acquirit per *Stoicam inediam & odium sexus muliebris.* Apparenti negotiosæ alacritati *plus* accedit *laboriositatis*, sed apparens hilaris *officiositas partem aliquantam* apparentis splendoris accessione invidæ ἐπιχαιρεκακίας *amittit. Nec intellectui tamen aliquid magnopere hoc ipso decedit*, sed præter ingenium & judicium fit additamentum præstantis memoriæ.

6. Quemadmodum autem mixtura Ambitionis & voluptatis plures habet admiratores, & existimationem parit, ita e mixtura *ambitionis & avaritiæ* plus oritur *metûs*, *& externæ venerationis*, item *potentiæ* res magnas & violentas callidasque in mundo perficiendi. Mixtura obstinatæ reticentiæ quæ est penes ambitionem, cum fraudulento mendacio ac simulatione avaritiæ coram mundo acquirit speciem *insigniter prudentis taciturnitatis*, quæ ad magnas res peragendas requiritur. Hæc mixtura efficit homines in ecclesiasticis ad papisticam rationem status: in politicis vero in aula ad arcana negotia idoneos, qui gloriari pos-

possunt, si indusium suum arcana sua sciret, quod protinus illud exuere & abiicere velint, qui in conversatione nil nisi verba præmeditata loquuntur; qui singula verba priusquam ea pronuncient, trutinæ quasi examinanda imponunt; qui affectus suos non sinunt in verba prorumpere, sed animum affabre, occultare didicerunt; qui ad simulandum & dissimulandum, adeoque secundum communem politicorum regulam, ad regnandum etiam, insignem habent aptitudinem. Quod si *ambitio* ad mixturam paulo plus contribuit, eorum taciturnitas *maiori cum gravitate* conjuncta est, & *dissimulatio* apud eos est in sublimi gradu, adeo ut eundem fere vultum servent in lætitia pariter ac in tristitia, in rebus prosperis æque ac in adversis, vel si maxime rubor aliquis vel pallor genas vel frontem obducat, oculi tamen nil fere mutentur, minime vero verbis internum gaudium iram vel tristitiam significent, nisi ira fortiter sit irritata, ut ipsis verba aliqua pauca excidant. Simulatio vero contrarii ejus quod corde premunt, in tam insigni gradu æque non procedet. Sin *avaritia* prævalet, plus externæ *humanitatis* in vultu, & plus *simulationis* gravitate vestitæ animadvertetur. Denique si voluptas ambobus æqualiter fere temperatis affectibus ambitionis & avaritiæ, in insigni, minori tamen dosi admisceatur, *dissimulatio* & *taciturnitas* adhuc plus *temperabitur*, hominemque in conversatione *magis* reddet *acce-*

ceptum, *simulatio* præterea *magis naturalis* & candida apparebit.

7. Semiambitiosus idemque semiavarus porro per mixturam ambitiosæ affectatæ magnificentiæ & avaræ immisericordis tenacitatis & solvendi difficultatis huiusmodi temperamentum adeptus est, ut parcus quidem sit, sed *si quid ad honores expendendum est*, quo etiam in ecclesiasticis erogatio eleemosynarum & ad pias causas pertinet, *nullis sumptibus parcat*, ut *mediocribus sumptibus* sciat commode & magnifice se gerere, ut sciat iusto tempore dare & vicissim, ubi aliquid lucrandum est, dona sua in ejusmodi homines conferre, à quibus commodum rursus expectat. Jam si ambitio superior est, nomen magnifici & liberalis hominis in aula, vel apud plebejos & familiam suam habebit. Sin avaritia prævalet, fama magnificentiæ ejus extra domum suam aliquanto major erit, quam apud ministros & familiam suam. Quod si præterea insignis dosis de voluptate accedat, fama magnificentiæ ejus amplius augebitur, præsertim apud sexũm fœmineũ

8 Mixtura ambitiosæ contemnentis superbiæ, & avara inflatæ jactantiæ parasiticæ operatur in semiambitioso eoque semiavaro, ut in rebus prosperis neminem magni æstimet, nec hilarem vultum cuiquam præbeat, præcipue his qui eo sunt inferiores, nisi aliquando eorum ministerio indigeat, nec jus habeat ipsis præcipiendi. Vultus eius tunc plenus est gravi-

vitate, idque vulgo dicitur, *existimationem suam observare*, non pati ut officium suum contemnatur, item pro gloria divina Zelum exercere. Sed in rebus adversis, & erga superiores, quorum auxilio ad honores emergere, vel aliquid lucrari potest, *humanus* est atque *submissus*, non quidem mendicorum more sicut avarus ambitione vacuus, sed more aulicorum. Potentibus scit mirifice adulari, eorumque favorem ambire, ac ita iisdem *blandiri*, ut se adulationis inimicum simulet. Si *ambitio* superiorem locum tenet, isthæc eius gravitas & *ars se insinuandi* cum majori perspicacia ac dissimulatione conjuncta erit. Sin *avaritia* prævalet, blandimenta erunt magis aperta, & affectata gravitas minus grata: Quod si & *voluptatis mixtura propius accedat*, affectata ejus humanitas æquanimi humanitati amoris rationalis adhuc propior erit, ejusque superbia minus animadvertetur. Hujusmodi homines in his locis utiliter adhibentur, ubi aiunt esse ecclesiam pressam.

9. Violenta audacia ambitionis & insidiosa crudelitas avaritiæ in dosi fere æquali mixtæ itidem coram mundo illustrem nanciscuntur splendorem, dum ambitiosus furor per avarum metum coërcetur, ne temere prorumpat, sed retineatur, injurias sibi illatas mussitet, & lætitiam super iis mentiatur, etsi cor ejus dolore exulceratum sit, donec occasionem opportunam reperiat, qua malum premens a se amo-

amoliatur, ubi simulat parum id ad se pertinere, & per tertium vel quartum illud efficaciter a se devolvit, & gaudium super hac liberatione conceptum minimam partem, quoad potest, significat, etsi ei signa aliqua si non in verbis, tamen plerunque in gestibus, elabantur. Itaque si *ambitio superior* est, plus furoris & manifestæ violentiæ, sin *avaritia*, plus insidiosæ dissimulationis animadvertitur. Mundus tamen eiusmodi mixturam *singulare phlegma*, vel *laudabilem fortitudinem*, imo Christianam patientiam vocat. Et hi apprime idonei sunt ad magnas in aula injurias, sub quibus alii succumberent, concoquendas. Si *voluptas* in aliquanta dosi mixturæ *accedat*, metus augetur, & audax proruptio citius minuitur, Dissimulatio quoque minor est, sed & crudelitas observatur, quod in signa manifesta prorumpat.

10. Nobiles viri, & quorum magna in mundo est autoritas, oderunt gulam & crapulam, ac amorem erga mulieres pro ludibrio habeat. Animmus eorum altiora spirat, quam ut voluptate inquinari possit. Hanc opinionem apud rerum imperitos excitat insignis mixtura Stoicæ inediæ & insensibilitatis quæ sunt penes ambitinem, cum sordida μισογυνεία, eaque mixtura communiter habetur pro vero archetypo *sobriæ & frugalis castitatis*. Tempus quod alii hilaritati & amoris studio tribuunt, huiusmodi homines totum in amplificatione reipublicæ vel

vel ſtatus eccleſiaſtici conſumunt. Habentur pro ſemideis, quibus nihil de aliorum ſtultitia ac nævis adhæreat, & in numerum heroum, imo ſanctorum cooptantur. Sed *voluptate* in mixturam ſimul ingrediente, aliquanto magis apparent ut homines, nec in hilari converſatione & apud mulieres tantam gravitatem præ ſe ferunt, ſed ſunt tolerabiliores & humaniores, magna tamen adhibita gravitate.

11. Jam exiſtimare equidem aliquis poſſet, quantum expenſas per ſe attinet, parcitate ambitionis & Nummilegio avaritiæ in una eademque mixtura concurrentibus, has iſti homini apud alios deformem aſpectum conciliaturas eſſe. Sed cum tales ob inhærentem ipſis ambitionem, hoc non obſtante plures in ſe ſuosque ſumptus erogent, quam hi qui pure ſunt avari nummilegi, deinde virtus ipſa quantacunque ſit erga alios liberalitate, hominem ad pauciſſimos ſui cauſa ſumptus faciendos impellat, ac vulgus præterea horum hominum externas actiones magis reſpiciat, quam quomodo domi ſuæ vivunt; & jam ſupra dixerimus, quod hi externe magnificam ſpeciem habeant, tantum abeſt, ut hæc mixtura foris deformem aſpectum habeat, ut potius tales propter alias conjunctas circumſtantias hic quoque tanquam *boni oeconomi* prædicentur, & tanquam *idea diligentiſſimi patrisfamilias* proponantur, imo pro *ſanctis qui carnem ſuam recte ſubigere ſciant*, reputentur. Iam ſi *ambitio* ſuperior eſt, ex-

externa hæc ſpecies adhuc magis rationalis videbitur, nec avaritia ita transparebit, & parcitas magis in ſeipſos, quam in alios cadet. Sin *avaritia* prævalet, magis animadvertetur avaritiam veram eſſe cauſam impulſivam ad hujusmodi editas actiones. Quod ſi tertius affectus, nempe *Voluptas*, concurrit, eius prodigalitas tenacitatem & nummilegium tam eleganter temperabit, ut plurimi exiſtiment, homines illos corporis ſui curam quidem gerere didiciſſe, ſed in comparatione aliorum, ita ne libidinoſum fiat.

12. Facile etiam intelligitur ejusmodi hominem per mixturam vigilantis laboris ambitionis, & laboris aſinini avaritiæ, ad *negotioſam alacritatem* amoris rationalis propius accedere, quam ignavum otioſumque hominem voluptati deditum. Hoc intuitu mixtura ejus efficit, ut præ cæteris omnibus in Republica & adminiſtratione eccleſiaſtica ad res magnas utiliter admoveri queat. Ac ambitioni quidem debetur, quod laborioſitas ejus tam vilibus negotiis non applicatur, ſicut pure avari, avaritiæ vero, quod præter commoda heri ſui, propria commoda non negligit, & quod laborioſitas eius non conſiſtit in rebus nimis ſubtilibus ac ſpeculativis, quæ ad praxin transferri nequeunt, vel quod conſilia ſua ad laborem ipſe ſimul exequi novit; Idoneus eſt ad *laborem capitis*, tanquam ambitioſus, & ad *laborem manuum*, tanquam avarus. Idoneus eſt qui aliis im-

peret, & cui ab aliis imperetur, & ad officia administranda, quæ alias sunt incompatibilia. Idoneus est ad laborandum calamo, gladio & ligone. Hujusmodi hominibus emblematis loco statuitur candela ardens cum inscriptione: Aliis inserviendo consumor. Itaque si *ambitio* superior est, ingens habent talentum, ut v. g. in aula pro consiliariis intimis & bellicis, sin *avaritia*, ut pro consiliariis Cameræ & Quæstoribus, & ita secundum proportionem etiam in urbibus & pagis usurpentur. Talis homo non facile fiet mendicus. Certum est enim, quod is qui à labore non abhorret, satis superque in mundo inventurus sit in quo laboret, & quod infallibile signum sit desidiosi hominis, si quis validus & integra valetudine præditus est, & sub prætextu, quod laborem nullum invenire queat, panem ostiatim quærit. Quare si *voluptas* cum otio suo tali temperamento magna dosi admiscetur, homo iste non semper quidem, nec tam operose laborabit, nec otiosis tamen annumerari poterit, sed quoad præsens negotium, ad hilaritatem æque ac ad gravitatem utiliter adhiberi poterit.

13. Quoad iram mixtura excandescentis vindictæ cupiditatis in ambitione, cum clandestino vindictæ studio in avaritia causatur, ut plerique hîc quoque illius hominis actiones admirentur, & magnificiant, quod non omnia rigorose ad animum revocet, *sed multa concoquat*, ac licet injurias sentiat, tamen non illico pro-

prorumpat, sed *iram reprimat*, nec ea se prostituat, sed opportunam occasionem expectet, eamque nactus injurias tam convenienter & cum effectu ulcisci didicerit, ut nemo facile eum impune offendat, & tamen coram mundo nomen hominis Christiani ac patientis non amittat. Breviter, hi rursus aulæ, Clericis, urbibus & pagis quadrant. Jam si *ambitio* superiorem locum tenet, eorum ira citius prorumpit, sed & submissione citius placari potest. Sin *avaritia* dominatur, ira magis est occulta, sed magis etiam pernicioſa & periculoſa, præsertim cum ejusmodi homines tunc quam maximè amicum vultum præbeant, cum proxime nocere intendunt, exemplo Inquisitorum Hispanicorum, qui inquisitos magna cum humanitate ad ignem ducunt. Cum autem ambæ hæ passiones dominantes insignem mixturam de iracunda animi mollitie *voluptatis* accipiunt, ira eorum citius in principio prorumpet, eaque adhuc facilius placabitur.

14. Denique eorum officiosita ita comparata est, ut eidem mixtura de invida ἐπιχαιρεκακίᾳ avaritiæ, & de violentis sicariorum officiis ambitionis talem formam addat, ut etsi in rei veritate nulla in re alia consistat, nisi in damno aliis inferendo, eisq; dolo cum specie amicitiæ conjuncto, vel insidiosa violentia decipiendis; tamen cum sæpe per alterius damnum alteri officium præstetur, & commodum inde enascatur, homo ille coram mundo hîc etiam

pro *virtuoſe officioſo* haberi ſoleat, dum ſincerationeſua apud eum, cui proprii emolumenti cauſa eam exhibet, efficit ut in pretio illa habeatur, per aſtutiam, qua eam exercet, opinionem de ſe apud alios excitat, quod ipſo carere nequeant, & ſub ea latentem Invidiam, ἐχιχαιρεκακίαν vel violentiam ſub ſpecie Zeli pro gloria Divina vel pro republica occultare didicit, ſicut v. g. in Papatu Clerus pauperes agnatos hæreditate defraudat, perſuaſis Teſtatoribus, ut monaſteria fundent. Imo læſis, dum illis ſæpe per alios nocet, perſuadet, ſe eſſe ipſis amicisſimum, & dum eos à tergo altera manu confodit vel proſternit, alteram manum ab anteriori parte eis porrigit, vel ſe eos defenſurum ſimulat. Itaque ſi *ambitio* prævalet officia iſta magis habent ſpeciem manifeſtæ, ſed callidæ animoſitatis, ſin *avaritia*, magis ſunt occulta atque aſtuta. Denique ſi *voluptas* inſigni mixtura ambabus hiſce paſſionibus conjungitur, affectata ibi ſinceritas magis eſt naturalis, ſed eo magis periculoſa, non tamen æque aſtuta nec violenta.

15. Neque hi homines *intellectu* carent. Ac tamerſi parum ſint idonei ad inventiones jucundas & elegantes, mixtura tamen judicioſæ dijudicationis Ambitionis cum præſtanti memoria avaritiæ efficit, ut iſti in rebus ſeriis quaſi pro oraculis & miraculis mundi habeantur, qui Biblia, Corpus Juris, Genealogias totius Romani Imperii &c. ſi hæc perdita eſſent, ex me-

memoria sua restituere possent, & quos quisque consulat. Breviter: Hæc mixtura est temperamentum hominum mundi judicio *eruditissimorum*, *sanctissimorum & autoritate summa præditorum*. Si *ambitito* primum locum tenet, judicium prævalet memoriæ: Sin *avaritia*, memoria superat Judicium. Quod si denique multum accedit *voluptatis* ingeniosæ ejus inventioni debetur, ut homines hoc temperamento præditi hîc virtuosorum speciem eo facilius consequantur, quoniam hoc casu Judicium, Memoria & Ingenium justa proportione invicem unita sunt.

16. Restat mixtura *Voluptatis* & *Avaritiæ*. Hoc est *portentosum & miserrimum temperamentum*, quodque operæ pretium non est, tam explicate, ut præcedentia, considerari. Facile enim aliquis sibi imaginari potest, qualis forma futura sit, si præcipitans garrulitas cum doloso mendacio ac simulatione; turpis prodigalitas cum immisericordi tenacitate & solvendi difficultate; servilis submissio cum stolido tumore parasitico; impatiens meticulositas cum insidiosa crudelitate; temulenta & vorax libido cum sordida μισογυνείᾳ; prodigalitas cum nummilegio; ignavum otium cum labore asinino, iracunda mollities animi cum clandestino vindictæ studio; officia lenonum & histrionum cum invidia & ἐπιχαιρεκακίᾳ; ingeniosæ inventiones sine judicio cum excellente memoria misceantur. Homo ita tem-

peratus *valde elaborat ut mentiatur* ac simulet, sed nimis est temerarius & facile per incogitantiam mysteria sua enunciat, nec satis est memor ut mendacem decet: *Tacere nititur, & dissimulare*; sed garrulitas eius hoc non permittit: Sumptus quos facit omnes impendit *gulæ, crapulæ & scortationi*, nihil rebus honestis, nec existimationi suæ, nec in pauperes. In rebus prosperis *iactando* & magnifica de se fingendo intolerabilis est, qui honestum neminem curat; In adversis est omnium *pavidissimus*, qui se nimis serviliter submittit, ac sputum lingit; sed qui in *crudelitate* modum servare nequit, si malum quo premitur, à se amoliri potest. Gulæ, crapulæ, libidini indulget, si hoc *non magni constat*, certe si ipse id care mercari non cogitur, vel quærit quemadmodum libidinem suam expleat cum vetulis, quibus rem veneream pro pecunia vendat: *Vestitus* eius & quicquid in proprios usus expendit, sumptuosa sunt, *nec elegantia* tamen, quia judicio caret, & sumptus quos alicubi fecit, alibi tenaci nummilegio compensare vult. Non amat mundiciem, sed est *porcus; otiosus* & ad ingeniosum laborem ineptus. *Iracundiâ facile irritatur*, sed *ira ejus mox remittit*, quando videt neminem eius furorem curare; Injurias non facile obliviscitur, sed licet occasionem nactus sit ulciscendi, facile tamen a vindicta vel minis, vel donis dimovetur; ad gravia negotia adhiberi non potest, sed ad histrionum artes, ad *obscœ-*

na

nacantica, ad turpes & irrationales actiones, quibus aliis ægre faciat. e.c. feneſtris confringendis &c. Quod ſi tamen *ambitio* in aliquanta doſi mixturæ ſuperveniat, hujusmodi temperamentum ſpeciem aliquam induit, non ita irrationalem; Id ſi non contingit, & avaritia paſſio dominans eſt, homo magis erit contemptus & intolerabilis quam voluptate prædominante.

17. In omnibus tamen hiſce mixturis hoc bene eſt obſervandum, quod iſtæ pro diverſitate *occaſionis*, *ætatis*, *ſtatus*, item *fortunæ* aliter ſubinde ſeſe repræſentent, etſi una eademque ſit mixtura, adeoque è diverſitate repræſentationis, qua oculis objiciuntur, non eſt concludendum, aliam quoque eſſe mixturam. E. g. homo qui multum habet *voluptatis* & *avaritiæ*, *in juventute*, quæ voluptuoſis tentationibus maxime expoſita eſt, in mundo facilius tolerabitur, nec tam rigoroſe de eo ſentient, quam cum jam *conſenuit*, cum *mœchus ſenex* omnibus ſit abominationi, unde comœdias hiſtrionicas repræſentaturi, nil magis ridiculum in theatrum producere poſſunt quam ſenem avarum amori deditum. Contra ſi *adoleſcens avaritiam* loco paſſionis dominantis habet, etſi hæc avaritia cum ambitione temperata eſt, ſodalibus ſuis adoleſcentibus ridiculus & auſterus videbitur, & facile adverſa ei evenient, quæ contemptum parient, cum in *matura* ætate, item in *ſenectute* hæc

mixtura, uti modo notavimus, ingentem admirationem atque venerationem excitet. *Ætas virilis*, sicut medium locum tenet inter adolescentiam & senectutem, ita in ea nullus affectus est admodum intolerabilis.

18. Et quoniam in *conversatione* humana ex causis naturalibus similes similibus, adolescentes adolescentibus, senes senibus, libentissime se associant, hæc conversatio *occasionem* frequenter præbet, affectum alterum altero magis irritandi. *Adolescentia* est imprudens, inexperta, & tamen novarum rerum cupida. Ad gravia negotia, item ad pecuniam lucrandam parum adhibetur. Itaque *voluptas* est, quæ maximam illis occasionem præbet excedendi. Atque hæc quidem occasio illos etiam adolescentes ad se allicit, quorum passio dominans avaritia est, vel ambitio. *Ætas virilis* moribus est magis compositis, majoris experientiæ, & suæ novarum rerum cupidini jam satisfecit. In hac ætate homo in mundo ad gerenda negotia quam maxime emergit, & ad varias res adhibetur, ex quibus ei plus autoritatis quam utilitatis expectanda est. Ergo *ambitio* irritamentum est ætatis virilis, quod eos quoque incitat, ut ad altiora adspirent, qui alias ob ignaviam voluptatis suæ vel ob diffidentiam ac metum avaritiæ dominantis hoc omissuri essent. Denique *senectus decrepita* stultitiæ voluptatis tædium cepit, & malitiam ambitionis cognoscere didicit. Ive-

venilis copia, & virilis calor sanguinis in paucitatem & frigiditatem abierunt. Ita vero necesse est eos parcioribus sumptibus vivere posse: Adeoque *avaritia* potissimum est, quæ apud ipsos grassatur, etsi senes dentur, qui voluptatem vel ambitionem pro affectibus dominantibus habent. Hoc qui non accurate expendit, & externas actiones juvenum, in virili ætate constitutorum & senum per transennam duntaxat intuetur, existimabit, una *cum mutatione ætatum affectus etiam mutari*, & modo hunc, modo illum reliquis superiorem esse, id quod nunquam accidit, mixtura semper ordinem suum retinente, quantumvis occasio affectum unum magis quam alterum irritet.

19. Nam & quotidiana experientia & communis natura humana ostendit, *per occasionem infimum quoque hominis affectum ita posse irritari, ut aliquandiu, & quoad occasio adest, in hominem dominetur*, præsertim si passio alias dominans hoc ipso nihil amittit, adeoque ei nec commodum nec incommodum inde expectandum est: Et tunc inter passionem dominantem, & inter infimam, sed hoc modo irritatam, hæc differentia est: Quod passio dominans hominem impellit ad quærendam occasionem, ac levissima occasione oblata fortiter eum irritat; cum ex adverso infima passio non tanto studio occasionem ad alimentum suum quærat, occasione etiam oblata non nisi forti impulsu moveatur, hoc est, ita ne

passio dominans motum patiatur sibi contrarium, imo ut nonnunquam reliqui affectus inferiori succurrant: Unde & infima passio sublata occasione mox placatur vel extinguitur, sicut lignum per speculum causticum accensum & ardens remoto speculo causticò ardere desinit. E. c. si homo in quo fortis est *mixtura ambitionis & avaritiæ*, voluptas vero in infimo gradu, in itinere, in quo incognito versatur, noctu per moram aliquam temporis solus una cum formosa muliere esset, quæ eum ad amorem prohibitum irritaret, ne dicam, si ea nobilis esset matrona, quæ præmia amoris superadderet, vel si *voluptuosus idemque avarus*, ambitionem in minima dosi habens, diuturna exagitatione ad iram & desperationem provocaretur: & secundum vulgatum illud, patientia nimis læsa in furorem converteretur: item si *ambitiosus idemque voluptuosus*, avaritiam in minima dosi habens promissione ingentis summæ pecuniæ ad occultam proditionem pelliceretur, imo si ipsi accessus ad summos honores, vel matrimonium cum formosa muliere promitteretur.

20. Porro si occasiones hæ sæpe occurrunt, tandem in *consuetudinem* abeunt. Consuetudo autem secundum proverbium mutatur *in alteram naturam*: De hac vero, sive de crebris occasionibus in cognoscendis affectibus humanis observandum est, quod consuetudo & occasio *in passionem dominantem cadens* na-

naturam quasi geminet hominemque in istam cupiditatem ita detrudat, ut ex illius servitute postea difficillime sese liberare queat. v. g. si voluptuosus diu in luxuriosorum, ambitiosus in laboriosorum & ingeniosorum, avarus denique in dolosorum ac fraudulentorum hominum conversatione commoratur.

21. Plurimum tamen hic *Status* & *Educatio* contribuit. Puer qui *patrem habet divitem ac voluptuosum*, a teneris voluptati, luxui & prodigalitati assuescit, etsi naturâ avaritiam vel ambitionem affectus habeat dominantes. *In aula* communiter ambitio pueris a tenellis instillatur. Apud *mercatores* lucri cupido & avaritia, &c Iam si forte pueri præterea ad hos affectus per naturam suam valde inclinant, corruptum eorum ingenium inde a juventute quasi nutritur, ut in provecta ætate perfectum habitum, secundum Philosophiam moralem vero majorem miseriam, acquisiverint ac dicerint. Sin autem contingat, ut puer aliam inclinationem habeat, quam qualis est conditio educationis suæ, tamen consuetudo ita *in alterum naturam vertitur*, ut homini non molestum sit in eius cupidinis modo, apte aliquid peragere; *Nec* altera tamen hæc natura *unquam in passionem dominantem mutabitur*, sed facile homo, vera ejus natura fortiter non irritata, ad alteram hanc naturam suam mutandam disponi poterit, certe ei non tam operosum erit, *consuetudinem, quam veram naturam mu-*

mutare. Id quod veteres sub fabula de muribus Marcolphi & fele Salomonis repræsentare voluerunt. Hoc apparet in homine inde a pueritia rigorose educato & ad externam modestiam assuefacto, qui postquam in libertatem suam prodiit, subito fit luxuriosus: Item in Nerone qui cum quinquennium cum laude regnasset, deinceps tyrannidem exercuit; Item in homine in voluptatibus educato, qui subito fit modestus & parcus.

22. Sed quantum consvetudo externum affectuum aspectum mutat, tantum etiam *mutatio bonorum fortunæ* eorundem externam faciem mutat, licet eadem sit mixtura. Quando *avarus*, item *ambitiosus prospera fortuna utitur*, cum opibus & honore abundat, res gestæ ejus magnæ & gloriosæ totum mundum personant: Cum vero ad hanc fortunam nondum pervenit, sed clavem ad eandem *adhuc quærit*, continet se cum apparenti sua modestia & submissione in silentio, ac magis in obscuro vivit, quam ut in publicum prodeat. *Voluptuosus* idemque *avarus in statu privato* hominum miserrimus est, qui nemini plus nocet, quam sibi ipsi, & qui ab omnibus irridetur. Longe vero diversa ratio est *Regis* hoc temperamento præditi, ex his crudelissimos tyrannos, Caligulas, Domitianos, Heliogabalos, Vitellios &c. fieri reperies, *Rex ambitiosis & voluptuosis* cupiditatibus fere æqualiter mixtis abundans, idoneus erit ad ingentem famam & amorem consequen-

quendum: At si hoc temperamentum in *hominem privatum* cadit, is sæpe plures habebit malevolos & inimicos quam amicos, ac per vitam suam a plerisque extreme vituperabitur atque contemnetur, a paucissimis vero amabitur & laudabitur.

23. Hinc etsi supra dixerimus, mixturam voluptatis & ambitionis ad virtutem proxime accedere, mixturam vero ambitionis avaritiæ & voluptatis miseros homines efficere; non tamen est existimandum, ejusmodi mixturas ab omnibus etiam *his oculis aspici*, vel *bona fortunæ dignissimum temperamentum semper comitari, adeoque hominem sibi ipsi fortunam suam fabricare.* Plerunque equidem ita eveniet, ut avari, qui simul sunt ambitiosi, fortunam suam late proferant, voluptuosi iidemque avari parum gloriæ ac divitiarum consequantur, ambitiosi ac voluptuosi a multis inimicis impediantur, ne altius emergant, ab amicis tamen secundentur ne ab inimicis prorsus opprimantur; Sed hæc observatio sæpius fallit, dum fortuna non semper a nativitate, educatione, occasione, experimentis &c. dependet, cum DEUS providentia sua in politicis vitæ regulis exceptiones faciat, nam *fortuna* nil aliud est, nisi *casus, qui regulis humanæ prudentiæ & intellectus non adscribi, nec ab intellectu humano hisce annumerari potest*, adeoque cœca vocatur, quia ipsi cœci sumus, nec vias divinæ providentiæ comprehendimus.

24. Ac

24. Ac unusquisque equidem occasionem quærit, cupiditates suas exercendi, & seipsum in talem statum collocandi, in quo eas pro lubitu in praxin deducere queat: Sed quotidiana experientia docet, *non esse in hominis potestate, occasionem sibi procurare*, multosque prudentes quadam quasi fatalitate e regulis humanæ rationis exempta prohiberi, ne ad fortunam suam emergant, nec capacitatem suam mundo ostendant; Cum ex adverso alteri temerario vel stolido alia aliaque subinde occasio manus adjutrices porrigat, vel idem præclarissimam occasionem honores, opes, delectationem consequendi è manibus elabi patiatur, qua alius, si minimam saltem ejus particulam haberet, melius usuris esset: Hinc vulgo dicitur: Hic plus habet fortunæ, quam juris. Hic fortunam habet novercam. Hic occasione sua recte uti nescit, &c. Occasio ad fortunam, honores & divitias similis sæpe est crocodilo, qui persequentem fugit, sed fugientem persequitur.

25. Atque hoc, mea quidem sententia, plerumque *ab amore irrationali* simul proficiscitur, quod ejus impulsu *occasione a Deo nobis oblata*, & quæ nobis utilis esset, vel ad aliorum commoda dirigi posset, *non utimur*: sed quod per affectus nostros in occasiones prolabimur, quæ vel nobis vel aliis nocent. Ita nimirum communiter affecti sumus, ut alias creaturas aliosque homines, eorumque actiones, ad nostras

ſtras ſpeculationes actionesque conformare cupiamus, cum impoſſibile pariter ac ſtultum ſit, iſtud prætendere, ſed nos potius circumſtantiis conformare debeamus. *Nullus homo eſt in mundo*, ne abjectiſſimo quidem excepto, qui non quotidie, imo ſingulis momentis præſtantiſſimas *occaſiones habeat, ſi non aliis inſerviendi, tamen ſeipſum emendandi*, & adverſitatibus ad ſuppreſſionem affectuum ſuorum utendi. Sed quemadmodum omnes noſtræ cupiditates rebus inhiant, quas nondum poſſidemus, & earum quas poſſidemus faſtidium apud nos excitant; ita aliorum occaſiones expectamus, easque elabi ſinimus, quæ nobis offeruntur.

26. Porro quam *irrationale* eſt ſtatuere, *quemlibet hominem fortunæ ſuæ fabrum eſſe*, tam *rationale* idem eſt, prout vocabulum fortunæ vel infortunii accipitur. Si hic ſenſus eſt, quod homo cupiditates ſuas explere, vel *votum cordis ſui adſequi* poſſit, ſi res ſuas recte inſtituat, *ſententia hæc falſa eſt*. Etſi non negandum ſit, multos viros eruditos & autoritate præſtantes idem in ore & in calamo gerere ſolere, integra etiam volumina de hoc dicto ſcripta ſint, quæ iuventuti tanquam ingentia myſteria comendantur: Huc pertinent *Beſſelii fabrica fortunæ politicæ*: *Callierii liber de fortuna Magnatum ac nobilium*, *Gratiani Heros & Aulicus*, &c. Nupertimæ obſervationes contrarium demonſtrant. Et hæc proxima via eſt ad *Atheiſmum*, quando

ſi-

sine observatione quotidianorum exemplorum divinæ providentiæ fortunam cum prosperam, tum adversam hominis, seu potius, an ipsi omnia ad votum succedant, nec ne, humanæ prudentiæ adscribere volunt, etsi athei tales in summa autoritate constituti sint. Quando autem ita intelligitur, quod homo tempori inserviens voluntatem suam divinæ voluntati submittens, in bonis diebus lætatur, in malis non murmurat, sed animo acquiescit, adeoque nihil quod DEUS ipsi imponit pro infortunio accipit, cum alii his quæ sibi accidunt, nunquam contenti sint, recte dici potest, nihil esse *verius*, quam homines fortunam suam sive prosperam sive adversam (quatenus hæc non Deo, sed aliis hominibus opponitur) sibi ipsis fabricare. Homo sua sorte contentus idem de se iure prædicare potest, quod aulicus ille: Principem suum omnia agere ad voluntatem ipsius ministri, omnia enim sibi placere, quæcunque princeps agat.

27. Atque hoc occasionem nobis præbet observandi, quod etiamsi inter Christianos sic dictos in hoc communiter consentiant, per *fortunam gentilium* apud Christianos nihil aliud intelligi, nisi *providentiam divinam*; Christiani tam ē apparentes in applicatione fortunæ bonæ & malæ sæpe deteriores sint ethnicis, certe multis gentilium Philosophis. Nam si homini omnia *ad votum cordis* sui bene succedunt, ut in mundo dives fiat & honoratus, istud *ingens fortuna* existi-

existimatur. Sin homini cuncta sunt contraria, neque is nulla ratione emergere potest, sed ubique invenit obstacula, sæpe cum morbis conflictatur, per varios casus facultatibus suis exuitur, &c. idem *homo infelix* appellatur. Cum ethnicus etiam ex sana ratione intelligere queat, hunc vere esse *infelicem*, cui omnia in cupiditatibus suis ad votum succedunt, quoniam hocipso a cognitione sui abstrahitur, & magis magisque suarum cupiditatum fit mancipium, eumque felicem esse, certe non infelicem, cuius desideriis divina providentia resistit, eique occasionem ea explendi subducit, vel privatione rerum, quibus corde suo affixus est, desideria eius mortificat Multi affectibus suis abrepti facti fuissent luxuriosissimi, genioque suo nimis indulgentes, nisi ipsis DEUS immissa paupertate, morbo, rigorosa educatione, &c. restitisset, eoq; illos ad meditationem & agnitionem stultitiæ suæ perduxisset. Multi pro ambitione sua aulicis negotiis summis intricati & ad maximas dignitates evecti fuissent, nisi ipsis DEUS occasionem ad aulam accedendi, & Principis vel Ministri status gratiam demerendi occasionem subduxisset, nec inde a juventute tot molestias ac adversitates immisisset, quæ eos impediverunt, ne emergere potuerint, ac occasionem iisdem præbuerunt humanæ dignitatis ac famæ vanitatem rectius intelligendi &c.

28. Cæterum hæc latius hactenus me-

ditata multas nos docent neceſſarias obſervationes, in judicio de mixtura trium vitiorum principalium, in cognitione cum noſtri, tum aliorum magno nobis uſui futuras. I. *Ne ſecundum externam ſpeciem*, neque ex iis quæ in humanis actionibus elucent, vel ex eorum actione quadam oculis noſtris obverſantur, *non ſtatim de affectu dominante judicemus*, partim quia multæ mixturæ malitiam affabre occultare, aliosque aſpectus induere poſſunt, partim quia infimus affectus tam fortiter irritari poteſt, ut valide hominem corripiat; partim quia occaſioni, converſationi, conſuetudini externa hæc ſpecies magis debetur, quam ipſi naturæ, &c.

29. 2. *Ne ex diverſo aſpectu hominum diverſi ſtatus vel diverſæ fortunæ, opum ac dignitatis, diverſas etiam ſemper adeſſe mixturas exiſtimemus*, vel unum eundemque hominem, cujus affectus mutato ſtatu aliter ſeſe oculis repræſentant, mixturam ſuam mutaſſe. Oſtendimus enim, unam eandemque mixturam pro diverſitate ſtatus ac fortunæ facile quoque diverſam faciem induere.

30. 3. Etſi una mixtura præ alia hominem reliquis efficit magis prudentem, ac inde hoc quidem poſſumus concludere, ſi ſecundum prudentiam ac intellectum res procederet, quod in externa etiam fortuna alii aliis majores facturi ſint progreſſus; ex his etiam obſeruationibus rationes politicas non irrationales e mixtura animorum hominum in actio-

actionibus versantium reddere queamus, cur hoc vel illud in mundo sic & non aliter gestum sit; *has tamen regulas politicas nunquam sive in contemplatione, sive in dijudicatione actionum cum propriarum tum alienarum, pro universalibus ac infallibilibus haberi oportere*, ita ut in illis nos fundare eisque tuto fidere possimus; cum fortuna, vel divina potius providentia sæpenumero per has regulas lituram faciat.

31. 4. Unde porro sequitur, quod in dijudicanda mixtura affectuum non possimus tuto pronunciare, sed valde nos decipiamus, si *ex fortuna vel infelicitate hominis de animo eius judicare velimus*, licet ejusmodi judicia irrationalia quotidie occurrant, ut homines diversis affectibus abrepti ex aliorum eventibus de eorum prudentia vel defectu intellectus, item de eorum malitia vel virtute judicium ferant. Si alicujus negotium, quantumvis secundum regulas prudentiæ rationaliter inceptum, contrarium sortitur eventum, mox malevoli eius reperiuntur, qui ita de eo judicant: virum hunc semper habitum esse prudentem, nunc vero apparere qualem negotia ejus exitum haberent, oportere illum hominem esse malignum, vel occultæ malitiæ, cum hoc vel illud exitum contra ejus intentionem sortiatur. Vicissim quando alicui negotia temere cœpta feliciter succedunt, facile inveniuntur Panegyristæ, Poëtæ aliique adulatores, qui hunc eventum aliis tanquam experimentum

excellentis eius ingenii vel singularis pietatis repræsentare didicerunt.

32. 5. In cognitione generis humani studiose cavendum esse, ne concludamus, *hominum mixturam mutari*. Nam si naturam generis humani, & singulorum hominum accurate consideremus, deprehendemus mixturam hominum, & ordinem affectuum humanorum, quales initio fuerunt, tales semper manere per totius vitæ curriculum; & *opinionem, homines plane immutatos esse*, sæpe ex prædicto communi præjudicio oriri, quod e facie externa, e consuetudine, ex educatione, ex affectibus, etiam inferioribus sæpius irritatis, ex conditione hominis externa in statu infelici, depresso, inopi, ex eventu consiliorum, vel actionum humanarum, de interiori conditione mixturæ actiones hominis vel præteritas vel futuras per errorem dijudicaverimus, vel dijudicemus.

33. Priusquam autem in hujusmodi observationibus ad cognitionem generis humani pertinentibus pergamus: ratio nobis reddenda est, cur in capite præsenti, in quo de mixtura affectuum tractamus, tantum de diversis speciebus mixturæ trium vitiorum principalium egerimus. Non videtur id irrationaliter factum. Supra enim in aliquot capitibus demonstravimus, quatuor esse affectus primarios, amorem rationalem, voluptatem, ambitionem & avaritiam. Iam doctrina de com-

combinatione rerum postulat, ut quatuor res viginti quatuor modis distinctis combinari ac disponi queant. Nos vero in hoc capite de sextuplici tantum trium vitiorum principalium combinatione egimus, ac *amorē rationalem, eiusque cum tribus vitiis principalibus mixturam plane sepositimus*, id quod defendi non posset, si homines nullum plane amorem rationalem possiderent, nec amor rationalis in mixturam cum tribus vitiis redigi posset.

34. Si homo in corde suo *nullum plane haberet amorem rationalem, nec inclinationem aliquam ad tranquillam ac pacatam societatem*, impossibile esset, eum unquam illam posse appetere, vel saltem comprehendere, tranquillitatem & pacem, ratione sui ipsius bonum quoddam esse. Iam vero propria uniuscujusque experientia contrarium ostendit, Cognitio, amorem rationalem, eaque omnia de quibus in Introductione Ethices diximus, esse aliquid boni, intime cordibus nostris iudita est, & tam facile comprehendimus stultitiam desiderii pacem ac tranquillitatem in voluptate, ambitione & avaritia quærendi, de quo in præsenti Praxi Ethices, in capitibus de tribus vitiis primariis egimus, ut per nosipsos proh dolor, nimis simus idonei ad aliorum actiones perstringendas. Quod autem hoc desiderium in nobis ipsis etiam realiter sit, non tantum ostendit cœcum illud & vanum desiderium, vi cujus hanc tranquillitatem ac

cem in voluptate, ambitione & avaritia frustra quærimus, item deceptio nostri ipsorum, per quam, si eventus votis nostris respondent, existimamus nobisque persuademus, quod tranquillitatem ac pacem illam possideamus (non gauderemus enim, nisi tranquillitatem & pacem appereremus) sed quisque etiam apud se deprehendet, quod istud desiderium, seu amor rationalis, quandoque, & apud multos sæpius, apud omnes vero ad minimum semel motu quodam extraordinario fuerit expergefactum, eique stultitiam affectuum ejus dominantium ita præbuerit cognoscendam ut ab eis liberari desideraverit, idque sibi serio proposuerit; sive hæc correptio suiipsius quæ evigilatio conscientiæ vocatur, ex malo ab affectibus dominantibus contracto, nempe dolore, morbo, imminente pœna, &c. sive ex alia quadam causa, quam ipsi non possumus nominare nec comprehendere, orta sit.

35. Solum igitur hoc reliquum est, ut ad defensionem nostram, ob prætermissam doctrinam de mixtura amoris rationalis, dicamus: *amorem rationalem non pati, ut cum amore irrationali misceatur.* Ac facile quidem veritas theseos hujus intelligitur. Contraria nunquam misceri possunt, sed quando concurrunt, alterum ab altero expellitur, consumitur, vel opprimitur. Lux & tenebræ se mutuo expellunt. Dies & nox non mi-

miſcentur. Aqua ignem quidem extinguit, viciſſim ignis aquam abſorbet, ſed ignis & aqua non miſcentur. Fac experimentum & miſce acida cum alcalinis, videbis quemadmodum inter ſe certabunt, & alterum ab altero imo utrumvis ab utroque conſumetur. Supra in prima tabula amorem rationalem cum aëre, voluptatem cum aqua, ambitionem cum igne, & avaritiam cum terra comparavimus. Jam aquea quidem corpora cum ſulphureis & terreis miſcentur, e. g. in pingui ac phlegmatico liquore. Aer vero, tanquam eſſentia ſpiritualis tribus his materiæ ſpeciebus nunquam miſcetur, ſed eas movet, vel ab iisdem excipitur, id quod animadverti licet, ſi quis per tubulum huic liquori fortem flatum immittit, atque obſervat, quomodo bullæ inde naſcantur. Hæc theſis etiam ex ſecunda tabula demonſtratur, item ex inſequente capite octavo. Virtutes omnes ex amore rationali, omnia autem vitia ex reliquis tribus affectibus oriuntur. Virtus & vitia nunquam mixta ſunt. Unico vitio virtuti admixto, aut virtus eſſe deſinit, aut vitium illud abſorbere cogitur. Et cui unica ex virtutibus deeſt, is non eſt vere virtuoſus, ſed apparenter tantum, quod quemadmodum fieri poſſit, ſupra circa mixturam voluptatis & ambitionis oſtendimus: Percurre totam tabulam & ſub amore rationali nihil reperies, quod non omnibus, quæcunque ſub

reliquis tribus affectibus posita sunt, contrarium sit. Sed ipsa vitia inter se considera. In his, etsi contraria multa inter se contineant, quædam tamen inter se similia reperies. Prodigalitas, Iracundia & Officiositas conjungunt voluptatem cum ambitione: Simulatio, irrationalis corporis castigatio, nimia tenacitas, laboriositas, connectunt ambitionem cum avaritia: Imprudentia, inconstantia, metus & adulatio voluptati cum avaritia sunt communes, ac efficiunt, ut misceri invicem queant.

36. Ergo ex his omnibus patet, *omnes homines omnes quatuor affectus in se continere.* De amore rationali hoc nuper demonstravimus. De *tribus vitiosis affectibus primariis ad propriam uniuscujusque experientiam provocamus*, modo quis seipsum data opera non decipiat. Ambitiosus, item avarus, quantulumcunque *voluptatis* habeant, an sibi confidunt per horæ spatium inter nudas mulieres sine sensu libidinis carnalis perdurare posse? Vel per horam ludicris facetiis auscultare, nec simul cum aliis ridere? Voluptuosus, item avarus, licet paucissimam habeant *ambitionem*, gaudebunt tamen si laudantur; Et cum sentit avarus, quod ob avaritiam suam apud omnes male audiat, aliquando affectum suum dominantem superabit, & affectata quadam liberalitate, etsi ea valde ridicula appareat, agere aliquid conabitur, unde gloriaipsi expectanda

da sit. Ambitiosus item voluptuosus, etsi pauxillum habeant *avaritiæ*, tamen apud se deprehendent, quod ingentis lucri captandi causa, parum honoris fortunæ ludibrio commissuri sint.

37. Quare cum omnes homines amorem cum rationalem, tum irrationalem habeant, duæ autem hæ amoris species invicem misceri nequeant, fieri aliter non potest, quin vel *inter se certent*, vel altera alteram *captivam teneat*, imo plane *extinguat*. Quod amor rationalis & irrationalis alter alteri *repugnet*, homo in corde suo sæpius sentit, & cogitationes se mutuo accusantes id testantur: *Amor* tamen *rationalis ab irrationali captivus tenetur*, ne emergat, & ut homo agat, quod non vult, etsi penitus non extinguatur, sed licet à trib us vitiis somno quasi obruatur, subinde tamen expergiscatur, & è captivitate sua se liberare contendat, certe vincula & catenas quasi concutiat, & strepitum edat. In cognitione enim generis humani cavendum est, ne existimemus, homines ita à se invicem distinctos esse, ut *in aliis amor rationalis irrationali, in aliis vero irrationalis rationali dominetur*: Sed omnium hominum natura hactenus una eademque est, ut rationale ab irrationali opprimatur.

38. Paradoxum quidem hoc est assertum, & communibus doctrinis contrarium, inde enim necessario sequitur, *ne unicum quidem in*

mundo esse virtuosum, quod nimis videtur injuriosum in totum genus humanum, cum omnes historiæ plenæ sint exemplis de hominibus virtuosis, fortibus, temperantibus, castis, mansuetis, justitiã amantibus, liberalibus, &c. Sed facilis est ad hanc objectionẽ responsio: Non est injuria, si dicimus, hominẽ cũ homine ejusdem esse qualitatis, sed si homo præ homine prærogativam affectat, aliosque propterea contemnit. Una est virtus, non plures, sive ea appelletur amor rationalis erga omnes homines, sive suppressio propriorum affectuum. &c. Hæc respectu diversarum actionum externarum diversas tantum sortitur appellationes, sicut unica Majestas intuitu plurium regalium. Si homines vere essent virtuosi, sequeretur quod omnes virtutes possiderent, nec opus haberent, ut de una quadam virtute denominarentur, jam cum de una tantum denominentur, ideo suspecti sunt, quod reliquas virtutes non possideant. E. c. fortis non est temperans, temperans non est castus, castus non est justus, justus non est liberalis, liberalis non est fortis, &c. Ita vero necessario sequitur, titulos hosce solum à virtutibus apparentibus petitos esse. e. g. quod crudelis & audax, fortis; avarus & sordidus, temperans & castus; pavidus, mansuetus; ambitiosè iracundus, justus, prodigus, liberalis, dicantur; Philosophus in hac sua bene fundata sententia non curat, an aulici, vel litera-

terati in Academiis, inprimis Poëtæ, Oratores, JCti, &c. super ea frontem caprent, nec ne.

39. Ergo in cognitione cum sui, tum aliorum concludendum erit, *apud omnes homines amorem rationalem infimo loco consistere, tria vero vitia principalia apud omnes homines amorem rationalem multis gradibus superare.* Non possumus aliquid in contrarium afferre, si nos ipsos recte examinare, nec nobis ipsis blandiri velimus. Occasionem inde sumo, priorem sententiam meam corrigendi & emendandi. Alibi enim de hac materia docui: Unumquemque hominem duas minimum habere vitiosas passiones dominantes, ac amorem rationalem si non passio infima sit, tamen uni solum vitioso affectui prævalere. In hanc sententiam in discursu de temperamentis Davidis & Salomonis amori rationali insignem dosin, & notabilem prærogativam præ avaritia attribui, idque fortasse in aliis etiam casibus factum esse potest Nunc autem perspicue intelligo, amorẽ rationalem naturaliter nulli affectuum vitiosorum superiorem esse posse. Nam cum homo omnes tres affectus vitiosos in se contineat, hi vero omnes virtuti sint contrarii, omnesque ut jamjam ostendimus, multa habeant tertia, quibus inter se connexi sunt, manifestum tamen sit, unum, si non plures, vitiosorum affectuum in hominem dominari ac virtutem opprimere, necessario sequitur, affectum illum dominantem etiam inferiori vel infimo vitio-

tioso affectui, ob commune emolumentum suum adversus virtutem, suppetias ferre, ac virtutem sub infimum vitiosum affectum deprimere, etsi ideo affectum vitiosum infimum supra se ascendere non patiatur: Quod ad exempla Davidis, Salomonis, &c. attinet, hoc olim erroris causam mihi præbuit, ut in illis amorem rationalem ante avaritiam posuerim, quia eo tempore nondum tam accuratam ac perspicuam cognitionem habebam, quam similem virtutis speciem mixtura ambitionis & voluptatis efficere possit, quod jam deprehendi, & initio hujus capitis ostendi, adeoque amori rationali olim ea tribui, quæ effectus hujus mixturæ fuerunt.

40. Cæterum facile prævideo, hanc sententiam ad paucissimorum palatum esse, plurimis vero absurdissimam videri. Opponent enim, quotidianæ experientiæ illam contrariari: Nam si vitia semper virtuti prædominarentur, sequeretur, *nullum hominem unquam boni aliquid egisse, sed turpia tantum & vitiosa facta perpetrari*, id quod tamen non fiat. Sed veritatis amans ad hanc objectionem facile respondebit. Vulgo ajunt. Qui flagitiosos vult capere, flagitiosos debet adhibere. Sæpe vitiosus per vitiosum abigitur. Non sequitur: Hic homo non semper turpia flagitia ac crimina committit, ergo is agit aliquid boni, potest enim aliquid agere quod minus est turpe & punitivum, quia de-

demonstratum est, *non omnes actiones vitiosas a magistratu puniri*, nec puniri posse. Non negamus, omnes habemus appetitum ad mala. Cur autem affectus non patimur prorumpere? Respondetur, aut metu pœnæ, quem voluptas & avaritia in nobis excitant, aut metu infamiæ, qui effectus est ambitionis. Si vero nobis blandimur, nos tamen interdum boni aliquid extra metum agere, valde nos ipsos decipimus, & corde nostro parumper examinato deprehendemus, fieri id vel ex desiderio gloriæ & ex ambitione, vel ut alios nobis ad realem gratitudinem devinciamus, quod avaritiæ est, vel forte ad favorem mulieris cujusdam consequendum, quod voluptati debetur. Si vero non vales cordis tui dolos eatenus penetrare, indicio est, quod teipsum plane non cognoscas.

41. Ergo in omnibus hominibus omnes tres vitiosi affectus amori rationali prædominantur. Nec existimandum tamen est, *earundem mixturam apud omnes homines esse æqualem*, vel quod in duobus tantum *hæc mixtura in eadem veluti dosi sit*, sed in omnibus hominibus deprehendemus alteram passionem altera subinde superiorem esse, nec in ullo homine mixturam præcisè eandem esse quæ est in alio. Quot modis facies hominum differunt, (in quibus omnino characteres sunt animorum) tot diversæ etiam apud homines sunt species mixturarum, eæque nulla in re conveniunt, nisi quod in omnibus hominibus amor rationalis tan-

exi-

exilis est, ut scintillula quædam, vel parvum seminis granum a circumstante Zizania impeditum ne succrescere queat. Reliqui ttes vitiosi affectus in omnibus quidem hominibus amori rationali prædominantes, & adversus eum, tanquam communem hostem uniti, apud homines sequenti modo variant. *Semper est unus ex tribus illis vitiosis affectibus, qui reliquis duobus prædominatur:* In hoc homine voluptas, in illo ambitio, in alio avaritia. Affectus dominans scopum primarium actionum humanarum omnium efficit, secundum quem omnes hominum actiones per totam eorum vitam institutæ sunt, quantumvis aliis hoc ignorantibus paradoxa videantur, & licet ad eas obvelandas, fucumque hominibus faciendum, omnibus simulationibus ac dissimulationibus utantur. Qui hunc affectum apud se invenit, idem effecit, ac si summum inimicum suum, quem hactenus pro amico habuit, detexisset. Et qui eum in aliis deprehendit, maximum ejus mysterium rescivit, nam si hâc cognitione recte uti didicit, aliis ad suum & aliorum commodum prudenter uti potest, quod si vero ea abuti velit, tùm noverit, qua re aliis (usque ad divinam providentiam, quæ semper hic excipienda est) incommodare possit, & quotidiana experientia docet, quod is, cujus passionem dominantem astutus homo (utriusvis sexûs) accurate perdidicit, vere alterius sit mancipium, & hic cum illo, quodcunque vult, agere queat.

42. Do-

42. Dominans autem hic affectus *vel reliquos duos insigni dosi supereminet, vel alterum & se immediate sequentem insigni mixtura proximum sibi habet. In priori casu* præcepta nostra tam evidenter certa sunt, ut ignorantes etiam & incogitantes, in aliis, qui ita sunt affecti, passiones eorum dominantes cognoscere queant, & vitia quæ in superiori Tabula, singulis vitiis primariis adscripsimus, apud eos deprehendant. Tunc omnes dicunt: Hic est homo luxuriosissimus, libido ex oculis ejus elucet, helluoni tam similis est quam ovum ovo, &c. Ille habet physiognomiam ipsius avaritiæ ac invidiæ, per totam urbem ob tenacitatem infamis est, &c. Vicissim alius ostendit vultum Hispanicum, omnes ejus gestus produnt ejus superbiam, &c. Tria tamen hæc vitia hoc intuitu ita a se invicem distingvuntur: *Voluptas* nec vult nec potest sese occcultare, tam apud nos ipsos, quam apud alios. Est impudica & facile cognoscitur. *Avaritia* libenter quidem sese occultaret, facile etiam se coram nobis ipsis occultare potest, nihil enim in nobis cognitu est difficilius, sed coram aliis parum admodum sese occultare potest, sed hi citò eam animadvertunt, ostendimus enim avaritiam judicio cavere. *Ambitio* non magnopere *cupit* sese occultare, dum illius actiones coram mundo pro virtutibus habentur, venenum tamen suum occultare *studet*, idque etiam *valet* apud eos, qui ejus malitiam accurate non observant, ejusque dolos igno-

ignorant, reipsa præstare, sive coram nobis ipsis sive coram aliis latere velit. Hæc tamen astutia non est tanta efficacia; ut homo cognitione sui bene imbutus eam cito eludere nequeat, etsi quam maxime sese palliare conetur. Memini mihi inde ab eo tempore, quo doctrinam de cognitione aliorum hominum quodammodo publicavi, sequentem objectionem sæpe fuisse propositam: Qua ratione cognitionem alterius addiscere possem, apud quem per aliquot dies commorarer, cum ipse nihil nec loqueretur, nec ageret, sed in conversatione taceret, & tantum auscultaret. Sed res in tuto est, ipsa enim tacendi facultas in hâc scientia infallibile est διδόμενον, homines contra voluntatem suam cognoscendi. Qui hactenus dicta recte ad usum transtulit, iam novit quid dicere velim.

43. Quando autem *passio dominans cum proxime sequenti insigniter mixta est*, ejus mixturæ *cognitio*, propter ex hac mixtura utrinque ortas alterationes, utriusque generis vitiis aliam faciem induentes, *paulo difficilior* est, quam passione dominante reliquas valde superemimente, sive in cognitione sui, sive in cognitione aliorum. Si quis tamen cum patientia sæpe cogitando expendat, qualis è mixtura passionum affectui unicuique primario conjunctarum affectus prodire debeat, ac deinceps meditationem, quam in principio capitis præsentis de hac materia, qualiscunque ex-

em-

empli loco attulimus, conferat, priusquam hanc cognitionem apud se & alios ad praxin deducere studeat, tandem in hac cognitione aliquam sibi exercitationem comparabit. Cognitio affectus dominantis præeminentis cum doctrina specierum simplicium in Arithmetica, cognitio vero duorum affectuum insigniter mixtorum cum extractione radicis quadratæ aut cubicæ commode comparari potest. *Temperamentum ambitiosum ac voluptuosum* valde idoneum est tam ad cognitionem sui, quàm aliorum, magis tamen ad cognitionem sui, quando voluptas ambitioni prævalet: sed ad aliorum cognitionem magis quam ad cognitionem sui, si ambitio voluptati prædominatur. *Temperamentum ambitiosum simul atque avarum* ad alios cognoscendos aptissimum est, sed cognitio sui ipsi est difficillima. Imo hoc temperamentum ea est capacitate, ut astutè se coram oculis eorum, qui cognitione sui vacant, occultare queat, in concursu tamen duorum hujusmodi temperamentorum illud quod plus continet ambitionis, ordinarie alterum cui plus inest avaritiæ, facilius astutia superabit, in ejusque mysteria penetrabit. *Temperamentum* autem *voluptuosum atque avarum* neque ad cognitionem aliorum idoneum erit, affectus etiam suos occultare nesciet. Et licet unusquisque hujusmodi homines eatenus facile discit cognoscere, ut non magni æstimentur, hanc ipsam ob rationem, quia facile ingenium

ſuum produnt, aliisque ſe cognoſcendos præbent, tamen ob nimiam eorum inconſtantiam, actionesque contrarias, ad quas per vitia contraria voluptatis & avaritiæ, pro diverſitate occaſionis abripiuntur, maxima hominum pars, & quotquot cognitionem ſui non bene didicerunt, eorum ingeniuum parum, imo plane non perdiſcent, ſed omnia ipſis portentoſa ac male cohærentia videbuntur. Unde etiam initio in examine hujus diſciplinæ, hujusmodi hominibus aliquot mihi oblatis, talem mixturam pro miraculo habui, eamque tanquam difficillimum problema propoſui, cum poſteriores cogitationes mihi oſtenderint, ejusmodi mixturas in mundo plures dari, quam expedit, etſi non omnes æqualiter, nec tam portentoſe oculis ſeſe repræſentent.

44. Denique *tertio etiam vitioſo affectu non longe infra reliquos duos conſiſtente*, ſed cum illis æque inſigniter mixto, de hac mixtura judicium quidem in abſtracto facile ferri poteſt, cujus rei in principio etiam hujus capitis ſemper mentionem ſimul fecimus, ſed *in praxi hic magis operoſum eſt, tam ſeipſum, quam alios cognoſcere*, & cum huiusmodi mixturis in Arithmeticis Algebra optime comparari poteſt. Homini tamen ſeipſum bene cognoſcenti non adeo difficile erit, etiam hujusmodi mixturas accurate diſcernere. Omnia hic prolixe explicare inſtitutum noſtrum non patitur, qui enim

in

in cognitione generis humani hucusque progressus est, compendia huc pertinentia ipse facile supplere poterit. Regulæ artis combinandi docent *sex species* inde produci:

1. Ambitio, Avaritia, Voluptas,
2. Avaritia, Ambitio, Voluptas,
3. Voluptas, Avaritia, Ambitio,
4. Avaritia, Voluptas, Ambitio,
5. Voluptas, Ambitio, Avaritia,
6. Ambitio, Voluptas, Avaritia.

Omnes sex species in eo conveniunt, ut homines ita affecti difficillime ad cognitionem ipsorum perducantur, difficillime alios accurate & recte cognoscant, & licet in insigni gradu dissimulare nequeant, sed dissimulatio illis valde sit operosa, ab aliis tamen etiam non facile perspicue cognosci queant, sed hoc admodum sit laboriosum. In universum omnes ad mala potius quam ad bona usurpari possunt, unde in rebus amicitiæ minime his confidi potest, sed ab illis maxime cavendum est. Sed in hoc *insigniter differunt*. Homines 1. & 2. mixturæ plerumque, fortuna ipsis non adversa, aliquandiu præcipue in vita sua, in magna sunt fama ac autoritate, magis tamen metuuntur, quam amantur. Hoc temperamentum est magnorum tyrannorum, negotia tamen sua sic instituentium, ut speciem boni habeant, quorum etiam stultitia magnum habet illimentum sapientiæ apparentis. Homines 3. & 4.

temperamenti vel magni sunt fatui, vel magni ac manifesti tyranni, vel utrumque simul. Denique homines 5. & 6. mixturæ medium quasi locum inter priores utrosque obtinent. Prudentiores sunt in 3. & 4. classe constitutis, sed non tam insidiosi, quam homines 1. & 2. classis. Non æque sunt malitiosi quam qui sunt de reliquis 4. speciebus, sed magis honesti & candidi, & commodius ad bona negotia, quam ad magna flagitia adhibentur, non adeo magna tamen confidentia in illorum fidem & amicitiam collocari potest, & verendum est, ut rigorosum amicitiæ examen sustineant.

45. Ac proprie quidem omnium hominum affectus ad unam sex classium §. præcedenti enumeratarum reduci possunt, dum supra demonstravimus, in omnibus hominibus amorem rationalem infimum locum occupare. Quapropter in unaquaque dictarum classium amore rationali subjuncto, totius generis humani temperamenta secundum ordinem dominantis & inferiorum affectuum habebimus, ita disposita:

I.	II.	III.
1. Ambitio.	1. Avaritia.	1. Voluptas.
2. Avaritia.	2. Ambitio.	2. Avaritia.
3. Voluptas.	3. Voluptas.	3. Ambitio.
4. Amor rat.	4. Amor rat.	4. Amor rationalis.

IV.

IV.	V.	VI.
1. Avaritia.	1. Voluptas.	1. Ambitio.
2. Voluptas.	2. Ambitio.	2. Voluptas.
3. Ambitio.	3. Avaritia.	3. Avaritia.
4. Amor rat.	4. Amor rat.	4. Amor rationalis.

Magna tamen differentia est inter 6. Classes præsentis, & 6. illas præcedentis paragraphi. Ibi enim eas consideravimus, quatenus tres affectus vitiosi insignem inter se mixturam, dissimilem quidem, secundum proportionem tamen fere eandem habebant. Hic vero eas contemplamur in genere saltem ordinis ratione, & sine respectu proportionis mixturæ, per quam sequentes cum affectu dominante connexi sunt, secundum quam proportionem, *quælibet sex illarum classium in alios innumeras subdividi potest*, licet omnes homines, ut supra docuimus, in eo conveniant, quod amor rationalis saltem tanquam scintilla & in minima dosi eisdem insit. Facile enim concipi potest, magnum esse discrimen inter hominem e. g. 12. uncias ambitionis, 11. uncias avaritiæ, & 10. uncias voluptatis habentem, & inter alium, qui v. g. 12. uncias ambitionis, 8. uncias avaritiæ, & 3. uncias voluptatis habet, item inter tertium aliquem, qui e. c. 12. uncias habet ambitionis, 6. avaritiæ & 5. voluptatis, & sic in aliis exemplis. De coloribus simile facile dari potest: Quàm multiplices species e flavo, cæru-

leo & rubro, item ex albo, nigro ac rubro diversa proportione produci possunt?

46. Cum autem hæc proportio intellectu magis quam sensibus percipiatur, adeoque ad punctum commode reduci nequeat; nec id ad utilitatem generis humani admodum requiratur, quoniam exquisitæ subtilitates intellectus in omnibus disciplinis, in communi vita nullum usum præstant, jamque in proverbium vulgatum abierit: punctum, pilum, momentum, &c. in Philosophia morali insignem quantitatem, longitudinem ac latitudinem admittere; nihilominus autem in doctrina de cognitione sui, ut alter alterum intelligat, certa quædam hypothesis assumenda sit; *unicuique liberum quidem est, proportionem hic eligere*; Ego quidem hactenus proportionis à JCtis in diversione hæreditatum usurpatæ, alias etiam non incognitæ, usum non contemnendum sensi. *Proportionis* nimirum *qualis est inter 1. & 12.* ita ut in cognitione tam mei ipsius, quam aliorum omnium, *infimo affectui*, quem semper amorem rationalem esse, supra demonstravimus, *unam* (1) *unciam*, *summo* autem, sive ambitioni, sive avaritiæ, sive voluptati *duodecim* (12.) *uncias* tribuerim, ut hac ratione postea in cognoscendis duobus intermediis affectibus cuncta sint ex proportione petenda, quæ est inter 1. & 12; in praxi etiam proportionis hujus exquirendæ maxima attentio animique tranquillitas requiratur.

47. Cæ-

47. Cæterum Lectorem hoc non offendat, si in scriptis meis, & in editis de hac scientia speciminibus reperiet, quod passioni infimæ minimum 5. gradus sive uncias, summæ autem 60. uncias seu gradus adscripserim. Quando enim inter 5. & 60. semper proportionem hanc observo, ut 5. proportio multiplicandi, &c. maneat, reipsa eadem est proportio inter 1. & 12. quæ inter 5. & 60, Res ergo eodem recidit, utrum ex his duobus modis eligas. *Proportio* tamen *inter 5. & 60. hoc præstat commodum*, si meipsum vel singulos aliquos homines, eorumque erga me relationem, quibus in rebus ego ipsis, vel ipsi mihi vel commodare vel incommodare queant, considero, tum proportio inter 1. &. 12. sufficiens est, ad eorum proprietates & affectus investigandos. Sin autem plures homines secundum regulas hujus artis examinare, inprimis vero hos qui animo sibi proxime similes videntur, accuratius inter se conferre volo, tum proportionem inter 5. & 60. majore cum fructu adhibere possum. E. g. Potest aliquis cui ratione officii & negotiorum cum multis conversandum est, in 3. vel plures ex ipsis incidere, quorum unusquisque, si singulos seorsim bene consideret, sequenti esse videtur temperamento: ut habeat 60. gradus ambitionis, 40. gradus avaritiæ, & 30. gradus voluptatis, vel secundum alteram illam computationem: 12. uncias ambitionis

8. uncias avaritiæ, & 6 uncias voluptatis. Sed horum temperamentis exacte inter se collatis ex eorum actionibus certissime deprehendetur, notabile tamen inter ipsos esse discrimen, & e. c. horum primum præter propter habere 43. gradus avaritiæ, secundum 39. gradus avaritiæ, tertium denique 32. gradus voluptatis; id quod in altera computandi ratione per integros numeros commode exprimere non possem, sed fractiones in primo quidem $8\frac{3}{5}$ unc. avaritiæ in secundo $7\frac{4}{5}$ avaritiæ, & in tertio $6\frac{2}{5}$ voluptatis &c. in subsidium adhibere coactus fuissem, id quod informitate aliqua laboraret. Etsi non negandum sit, hunc usum in praxi rarissime occurrere, magisque in speculationibus consistere, quam in praxi utilitatem aliquam magnopere habere.

48. *Usus* enim *cognoscendi ordinis & proportionis trium vitiorum principalium* in homine in eo versatur, ut, quantum *cogitationem meiipsius* attinet, ante omnia affectum dominantem quæram, eumque supprimere studeam, & si reperiam, duos subsequentes, vel horum alterutrum cum dominante insigniter esse mixtos, duos illos, vel omnes tres velut tyrannos animæ meæ, & maximos inimicos meos considerem, & in ecrum extirpatione elaborem.

rem. Quod autem *cognitionem aliorum* concernit, ut multa expendam (usus enim æque ac abusus hic est multiplex) e. c. an secundum temperamentum suum naturalem quandam inclinationem erga me habere queant, an vero amicitia eorum tantum sit fucata, & propria commoda respiciens? Quousque se eorum potentia extendat, mihi vel aliis inserviendi? Ad quænam negotia utiliter expedienda idonei sint, nec ne? Quibus in rebus rationes habeam, quamobrem illis diffidam, vel ab ipsis caveam? Quibus in rebus & quibus modis facile mihi nocere possint, nec ne? Quomodo oppugnatione passionis eorum dominantis insidias eorum facile eludere queam? & sic porro.

49. Exempli causa, Qui tali est temperamento quod primo loco habet *voluptatem* cum *ambitione* tamen insigniter permixtam, si cum tribus multum diuque ipsi conversandum est, quorum primus *ambitionem* cum *voluptate*, secundus *ambitionem* cum *avaritia*, tertius *voluptatem* & *avaritiam* habet, ex superioribus præceptis facile intelliget; ex tribus illis primum fortissimam inclinationem naturaliter erga se habere, quæ in mediocrem particularem amicitiam, (qualis in mundo datur) converti potest, inter reliquos duos autem secundo ob ambitionem, tertio ob voluptatem aliquid inesse, per quod illi ipsi, & ipsi illis vicissim in conversatione non sunt intole-

ra-

rabiles, ob ingentem vero mixturam avaritiæ quæ utrique adhæret, parum ipsis confidere eum debere, sed ab illis bene ei cavendum esse, præsertim quando magis ipsi, quam alias consueverunt, blandiuntur, quoniam in hoc vel propriæ utilitatis rationem habent, vel his blandimentis ipsi insidias struunt. Nec primo tamen ipsi magnopere confidendum est, inprimis si negotium agitur, ubi forte utriusque utilitates, ob amborum ambitionem intercedunt, Primus ei, & aliis utilia quidem officia exhibere potest, dummodo velit. Sed ut eum ad hæc officia præstanda disponat, cavendum ipsi est, ne ei se nimis præbeat familiarem, sed erga illum candorem ostendat cum insigni veneratione conjunctum, & quantum potest ambitionem illius, ad propria eius commoda ita convertat, ut ille ex postulatis officiis laudem gloriam ac famam consequatur, & per ea clientes atque amicos sibi acquirat. Secundus ordinarie quærat, quemadmodum eum sub se contineat, eumque per officia apparentia ipsi vel amicis eius exhibita ita ad se attrahat, ut ab illis sub spe & metu retentis plus quam illis ab ipso, expectandum sit, etsi non facile sincerationes, promissa, & exaggeratæ expectationes efficient. Tertius ad pauca, ad quæ judicium requiritur, usurpari poterit, etsi huiusmodi officium præstare admodum cuperet. Poterit tamen adhiberi ad rescisendum siqua alii commodis nostris ob-

obstacula injicere velint, si ea cognita habet, quia tacere non potest, cautio tamen hic adhibenda est, ad verum à mendaciis, quibus tertius iste per temperamentum suum assuevit, discernendum. Si quis autem eo uti velit, ut ad utilitatem suam promovendam alteri, quo tertius ille familiariter utitur, odiosum, quid, quo amicos alias onerare non solemus, significet, tum vel ipse officia sua offeret, quia rebus ita comparatis hujusmodi garrulitate delectatur, vel id ei solum credi debet, isque rogari, ne alteri hoc enunciet, simul autem certo sibi persuadere, quod tum primus omnium id revelaturus sit, quandoquidem in universum nihil ipsi credendum est, etsi propria ejus utilitas inde quæratur, nisi quod omnibus scire licet, quia ipsi impossibile est propriam turpitudinem tacere, & ex nemine facilius, quam ex ipso mysterium interrogando rescisci potest. Quod damnum attinet à tribus hisce expectandum, tertius quidem, nisi potens sit, omnium minime ei formidandus, nec contemnendus tamen est, sin potens, pro diversitate circumstantiarum magis ab ipso ei cavendum est, quam à reliquis duobus: primus & secundus satis quidem sunt idonei, qui ipsi incommodent, nec primum tamen, quoad eum non irritat, vel ille ad insignem famam inde sibi parandam non est lacessitus, adeo diffidentes opus habet cavere. partim quod idem præ reliquis duobus sit rationalis, partim quod secun-

cundum mixturam corporis & animi amore naturali eum præ reliquis prosequatur, ab eoque vicissim officia utilia ei expectanda sint: Secundus bene ipsi cavendus est, quia facile contra eum concitari potest, neque tum astutia ei de futura est, qua ipsi exitium paret, imprimis si eo illum perducat, ut confidentius cum illo agat, ejusque sinceritionibus fidat. Cæterum etiamsi, (secundum nudas prudentiæ regulas) nemo alterum facile debeat offendere, in specie tamen in præsenti exemplo Voluptuosus ambitione voluptatem temperans, studiose caveat, ne primum nec tertium offendat, sed quantum potest in justa causa defensive tantum agat, quia in primo verendum est ne nimia dosis ambitionis præ voluptate, in secundo autem ne insidiosa astutia candorem ejus non admodum prudentem, & fortasse nimis securum, vincat. In tertio videtur quidem sæpius eum fore superiorem, parva tamen cum utilitate vel honore, quia non admodum ingeniosum est, ejusmodi hominibus incommodare, & ille de illata (imo imaginaria) injuria publicas querelas instituere consuevit, improvisam etiam occasionem nactus, injurias eo imprudentius magisque brutaliter ulciscí soleat. Si autem animadvertat tres istos contra se irritatos ipsi innocenti velle incommodare, non adeo operosum ipsi erit, occasionem invenire, quemadmodum tertium divertat, ne damnum paratum exerceat, certe ut aliquandiu differat, & commodissimam occasionem

nem prætermittat, idque per varia voluptatem & avaritiam ejus irritantia, adeoque intellectum ejus naturæ debilem turbantia. Primus autem & secundus plus negotii ei faceſſet, apud primum enim dona parum efficient, apud ſecundum vero voluptuoſæ illecebræ locum vix reperient, huic etiam dona valde pretioſa offerenda eſſent. In utroque itaque deliniendo ſubmiſſio non affectata maximum habebis effectum. &c.

50. In caſibus in communi vita occurrentibus hæc omnia melius oſtendi poſſunt, quam ſi nobis in abſtracto tantum exempla fingamus. Neque in exemplo allato exiſtimandum eſt hunc qui voluptatem cum ambitione inſigniter mixtam habet, nævis omnibus vacare, ita ne opus ſit ipſi diffidere, ſed circa eum eædem obſervationes atque cautelæ, quæ in aliis, ſunt adhibendæ. Non putandum etiam eſt, has regulas vitæ inſtituendæ eſſe *infallibiles, quibus tuto inuiti queamus.* Sed cum his ita comparatum eſt, ſicut alibi (a) de regulis ſanitatis diximus. Deus has homini ordinavit, ut ſecundum illas vitam ſuam inſtituat, non ut ſe ipſum illis alligaret. Itaque ſi homo easdem non obſervat, ſed valetudinem ſuam oppugnat, conſcientiam violat, quod media à Deo in natura ſibi ordinata non uſurpaverit, & vitam ſuā volens decurtaverit. Si vero ſecundū illas vitam ſuam inſtituit, non exiſtimet, quaſi his obſervatis neceſſe

(a) Introd. Eth., cap. 8, §. 6. ſeq

cesse sit ut vitam suam proroget, & aliter fieri nequeat. Sed soli Deo ipsi est confidendum, & semper expectandum, ut DEUS ipsum in media regularum sanitatis observatione singulis momentis ex hoc mundo evocare possit. Ita si homo regulis politicis ad cognitionem aliorum hominum ad suum & aliorum emolumentum usurpandis, & ad proprium damnum evitandum utitur, id non alia intentione faciat, quam ut media naturæ rationali à Deo indita usurpet, non vero ut illis confidat, nec putet, his debite usurpatis non posse rem aliter evenire, sed se his observatis felicitatem suam se necessario promovere, & periculum propulsare oportere. Hinc iterum sese offert annotandi locus, quod non tantum pro impia, verum etiam pro summe irrationali doctrina sit habendum, quando nasuti politici docent, quemlibet propriæ fortunæ fabrum & quasi dominum esse.

51. Ex hoc enim *DEI providentiam ejusque judicia* præcipue cognoscere possumus, si homo vel contra regulas prudentiæ aliquid instituit, quod *nihilominus felicem habet eventum*, vel si veluti ad punctum secundum regulas humanæ sapientiæ actiones suas conformavit, & nihilominus ipsi omnia eveniunt contraria: Vel si DEUS permittit ut hominis actiones aliquandiu secundum regulas prudentiæ & ad votum procedant, sed cum scopo suo jam proximum se esse existimat, Deus ex improviso litura quasi

per

per transversum ducta, ejus consilia convertit, (quod nuper alibi exemplo Caroli V, item Mauritii & Philippi Hassiaci declaravi:) Ex quibus recte demum cognoscere possumus, *quod* DEus *permittat, ut summa sapientia mundana, si in eâ confidimus, & ab ipso receedimus, in summam stultitiam convertatur*, nec aliter nobiscum agat, quam forte interdum sapiens pater cum filio, qui eum astutis technis decipere studet. Ubi pater simulans se filii machinationes ignorare, furta ejus permittit fere usque ad extremum impune procedere, ut is eo magis magisq; animo spem concipiat, scopum suum assequendi, quo illum sibi propiorem videt. Sed cum filius eum se jam attigisse putat, pater adhuc simulans se filii intentionem nescire, per occasionem, & tanquam aliud agens aliquid interponit, quo filius spe sua excidit, ac demum infelicitatem suam impatienter accusat.

52. Cum autem nihil frequentius sit, quam quod de providentia ac judiciis divinis secundum præjudicia & affectus nostros judicium feramus, unde alii nasutuli ansam arripiunt, ut divinæ providentiæ judiciisque divinis parum, imo nihil tribuant, quia DEus plerunque per naturales sed improvisas circumstantias operari solet, quas, quando accidunt, homines ita intuentur, quasi eas prævidere debuissent, unde vulgo dicitur: si res hoc vel illo modo actæ fuissent, alium eventum habuissent; item, si hoc mihi accideret, longe aliter agerem. Utrumque hoc extremum melius vitari non potest, quam

quam ut tempestive *ad cognitionem nostri animum applicemus.* Nam quo magis in hac proficimus & nos exercemus, eo magis propriam miseriam ac stultitiam animadvertimus, eoque magis effectum divinæ sapientiæ, providentiæ ac judiciorum cognoscimus. Imo certissime nobis persuadere possumus, quod *quanto magis nos ipsos in praxi discimus cognoscere, tanto habiliores reddamur ad alios quoque cognoscendos*, & ad actiones nostras caute instituendas. Contrà quo plus in aliis cognoscendis elaboramus, (ad quod studium ingenium humanum suâ sponte plus satis inclinat) sed ad hanc scientiam per angustam portam cognitionis nostri intrare recusamus, eo minus in ea proficiemus, sed enormiter hallucinabimur, & fere quotidie nos prostituemus.

53. Priusquam hoc caput finiamus, necessitas postulat, ut paucis demonstremus: Thesin hanc, cujus in hoc libro sæpe mentionem fecimus, quod nequaquam existimandum sit, quod in homine *ordo affectuum ejus, semel ipsi naturaliter impressorum*, ratione ætatis, occasionis, fortunæ, &c. mutetur, sed firmiter potius statuendum, quod *naturaliter perpetuo in eodem ordine permaneant*, aliter se habere non possit, sed tam certa ac indubitata veritas sit, quam certum est, bis duo sex producere. Hoc ut intelligamus, sciendum est, quod omnes *affectus*, tam ad bonum, quam ad malum sint aliquid *activum*, quorum essentia absolute considerata in me-

merisactionibus consistit, quæ materiam corporis impellunt ad aliquid hoc vel illo modo agendum, qui ea veluti pro arbitrio utuntur, quosque adeo, cum essentia materiæ in mera passione consistat, illi vero materiæ secundum essentiam suam è diametro sint oppositi, aliquid *spirituale* esse oportet, qui materiæ corporis dominantur, cum qua in corpore modo sensibili quidem ac certo, sed intellectus ratione incomprehensibili uniti sunt. Ista *unitio* cum *spiritualitatum* cum materia efficit, ut hæc illis passionem suam, hi vero illi vicissim activitates suas communicent, vel potius utrumque de toto corpore prædicetur. Et quia omnia corpora spiritualitate repleta sunt, & in hac magna mundi machina perpetuo motu in circulum quasi aguntur, non possunt non hoc continuo motu omnium corporum naturalium, inprimis animalium & hominum singulis momentis particulæ quædam simul auferri, vel addi. Cum autem diversa sint corpora, ignea, aërea, aquea & terrea, ratione materiæ sibi quidem non contraria, sed vi in singulis contentarum spiritualitatum multos contrarios effectus in mundo causantia; *essentia omnium spiritalitatum* in eo consistit, *ut unaquæque vires suas & essentiam cum suam, tum unitorum corpusculorum conservare studeat*, ita vero absceſſum perpetua circulatione in hoc universo genitum, assumptione aliorum corpusculorum similium compensare conetur. Inde oritur *motus conti-*

nuus spiritualitatum, partim attractione & unitione spiritualitatum similium, partim vero, in pulsione & corruptione dissimilium. Jam uti manifestum est, unumquodque corpus quod materiam continet densam & firmiter coagmentatam, aptum esse, ut corpora rara dissecet vel conterat; Ita æque certum & manifestum est, unum corpus præ altero *majori spiritualitate præditum esse, & majorem spiritualitatem unius minorem spiritualitatem alterius subjugare*, sive major illa spiritualitas sibi similem minorem spiritualitatem alterius corporis attrahat, eamque quasi absorbeat, sive major spiritualitas minorem spiritualitatem sibi contrariam corrumpat & repellat, & utraque ratione corpus minori spiritualitate præditum in minutissimas particulas veluti conterat, easque postea una cum simili spiritualitate cum corpore suo uniat, eumque hoc ipso nutriat, vel eas una cum dissimili spiritualitate repellat. Quod si autem in duobus corporibus *spiritualitates æqualis virtutis ac potentiæ* deprehenduntur, pugna duarum contrariarum spiritualitatum, *quamdiu hæc æqualitas durat, quasi in æquilibrio consistet*, donec alterutra unitione sui similium augeatur, non aliter quàm e. c. duo Andabatæ æq; robusti brachiis supra caput elevatis se mutuo prementes in hoc situ tamdiu colluctari solent, donec robur unius vires majores quam alterius acquirit, vel sicut duo lapides æqualis magnitudinis æquali pressione collisi, immoti apud se in-

invicem quiescunt, donec alterutri nova pressio forinsecus accedat. In similibus vero spiritualitatibus mutuo se unire quærentibus, æqualis quidem utriusque corporis virtus tamdiu impediet, ne altera alteram absorbeat, donec altera alteri virtute prævaleat; nihilominus tamen mutuis exhalationibus & attractione utrumque corpus, præsertim æquali hac virtute longius durante, insigniter exhaurient, æque ut e.g. duo ambitiosi mutuo amore se prosequentes, quorum neuter alteri cedere vult, & tamen ambo se variis artibus ad amorem sollicitant, corpora sua tamdiu viribus exhauriunt, donec alter alteri prævaleat.

54. Jam licet contemplatio omnium creaturarum, si præjudiciis vacat, veritatem thesium superiorum abunde confirmet, & hujusmodi unitiones & pugnæ in omnibus corporibus, igneis, aqueis, aëreis atque terreis sufficienter observatæ sint, ac per innumera experimenta cum mechanica tum chymica, & longe quidem rectius & evidentius, quam per hypotheses Cartesianas, Gassendisticas, vel Peripateticas, (quibus omnibus vera & perspicua cognitio essentiæ spiritualis materiæ oppositæ deest, quæque inde necessario multas absurdas ac sibi contradicentes chimæras de elasticitatibus, vacuitatibus, & qualitatibus occultis ad palliandam coram oculis discipulorum suorum ipsis adhærentium & præjudiciis autoritatis occupatorum hypothesium suarum vanitatem

conquirere oportet) demonstrari potest: præterea tamen bene expendendum est, quod *in corporibus*, præcipue *animalium & hominum* (nam quod in aliis etiam corporibus similia experimenta, etsi non tam crebræ nec perspicuæ inveniantur, unde Campanellæ & aliorum hypothesis de sensu universi non adeo absurda est, experimentum hominis illius ostendere potest, qui certo tono musico vitra disilire faciebat, de qua re Morhofius, peculiarem dissertationem conscripsit) observare liceat, *quantum conformitas & difformitas spiritualitatum aliorum corporum ad alterationes efficiendas valeat*, dum nullus *sensus* est, de quo non quotidie innumera experimenta peti possent. Non jam mentionem faciemus *Tactus* sive sensus caloris & frigoris, item lævitatis & asperitatis, per totum corpus diffusi, sed pauca saltem de reliquis sensibus in medium afferemus. Quantum effectum habet e. g. *color* rubeus in tauris ferocibus, item in gallopavonibus, *sonus* tubarum in equis ferocientibus, *fulgur* & *tonitru* bombardarum in equis pavidis, *odor* ciborum vel cadaverum, item *gustus* ciborum dulcium vel acidorum semel gustatorum in plerisque animalibus? &c.

55. Et quemadmodum *nos ipsi sensibus* magis, quod dolendum, dediti sumus, quam bestiæ, & cupiditates apud nos fortiores sunt & sensibiliores; ita à nobis etiam plura & magis evidentia hujus rei exempla petere possumus, quo-

quorum aliqua in bestiis plane non reperiuntur. Ac in oculis quidem equi generosi, vel ignavi notabilis differentia spiritualitatis in eis operantis deprehenditur; Sed oculis bestiarum accurate introspectis, in collatione cum oculis humanis, quasi aliquid mortui in illis invenies. Spiritualitas vero oculi ne dicam inflamati & lippi, sed desiderantis, ardentis, libidinosi, iracundi, ejulantis, pudibundi, invidi, quam potentes eosque diversos habet effectus, prout spiritus oculi intuentis comparatus est? Quam diversos atque contrarios motus & affectus excitat ac intendit diversus *sonus* instrumentorum musicorum? Quantas passiones & inquietudines *gestus* vel *cantus* hominum scenicorum, item vel iracunda vel blandientia *verba* & *laudum* illecebræ effecerunt? Quantum spiritus appetitus nostri per *odorem* ciborum conditorum & calidorum, item potus calefacientis irritatur? Quanto magis vero idem eorum *sapore* ad excessum incitatur, vel pro re nata statim infringitur vel oppugnatur? &c.

56. Porro cum homo præter sensus, quos cum bestiis communes habet, specialiter *sensu-cogitationum* prædito sit, quibus res absentes tanquam præsentes sibi repræsentare potest, in homine etiam hîc tanquam peculiare quid notandum est, quod *mediantibus cogitationibus præ cæteris animalibus capax sit, ad spiritualitates suas* aliquantisper (nam per diuturnam temporis

moram hoc nisi forinsecus ipsi allato nutrimento, præstare nequit) *conservandas, intendendas atque augendas.* Non jam dicam de novis veritatibus profunda meditatione inventis (quæ omnino etiam Philosophiam Cartesianorum & Peripateticorum, nihil aliud nisi novæ à spiritu animæ quasi genitæ spiritualitates esse possunt) sed ad propriam uniuscujusque experientiam tantum provocabo, quemadmodum ambitiosus cogitatione illatæ injuriæ, vel propositæ vindictæ *spiritum iræ suæ & cupidinis vindictæ*, voluptuosus vero recordatione præteritæ vel speratæ delectationis *spiritum voracitatis suæ vel stultæ libidinis*, avarus denique profunda meditatione ingentis lucri expectati *spiritum φιλαργυρίας suæ* confirmet & nutriat.

57. Hæc omnia quotidiana testatur experientia, ita ut nobis præterea aliud etiam discrimen inter hominem & reliquas creaturas ostendat. *DEUS* qui omnia certo numero, pondere & mensura in hoc universo ordinavit, *ad sustentationem & motum uniuscujusque corporis certam quasi dosin spiritus ordinavit*, quæ aucta vel imminuta materiam corporis potius corrumpit, quam conservat. Sic cum per Anthliam pneumaticam plus aëris in vas aliquod intruditur, quam DEUS ad ejus repletionem ordinavit, aucta hæc spiritualitas (nam in Philosophia mea aër & lumen sunt quoddam spirituale,) vas circundans, liberum illius motum veluti captivum tenens, disrumpere atque con-

confringere, ac se hoc modo e captivitate liberare conabitur, id quod in epistomate anthliæ violenter repulso apparet. Vicissim, aëre è vitro ope anthliæ extracto, relicta & iminuta spiritualitas per circularem attractionem vitri illius circumdantis spiritualitatem vel in vitro contentam, vel illud forinsecus circundantem, extrahere vel attrahere conabitur, ubi facile contingere potest, ut diuturna illa & justo fortior attractio huiusmodi corpora confringat, id quod exempli causa cernere licet, cum è scypho metallino, cui loco pedimenti rotundus sed planus discus vitreus cerâ aptatus est, aër per anthliam extrahitur: dum paucus aer relictus corpora circumstantia tanta vi attrahit, ut vitrum frangatur. *Iam inter omnes creaturas nulla tam corrupta est, ut ipsis inhabitans spiritualitas se cum ruina corporis sibi adiuncti augere conetur, quam animalia, & inter animalia homo.* Bestia interdum quidem vorando modum excedet, ita ut pene rumpatur. Sed *homo fere nihil agit præterquam ut quotidiana auctione spirituum ambitionis, voluptatis & avaritiæ suæ corpus suum consumat, atterat atque exhauriat*, ac ita affectibus suis naturam suam oppugnet, & durationem divinitus sibi concessam decurtet, ut adeo rebus sic comparatis non magnopere mirandum sit, quod homo nobilissima creatura, & animalia brevioris sint vitæ ac durationis, quam arbores, lapides, &c. (a) 58.

(a) Vid. 1. part. Ethices Cap. VIII. n. 4.

58. Iam ex dictis evidentissime demonstrari potest, *spiritualitates affectuum naturaliter & ordinarie in homine per totum vitæ curriculum in eodem ordine manere, in quo tempore nativitatis ejus fuerunt.* Spiritus majoris virtutis capax etiam est, majore virtute spiritualitates homogeneas ab aliis ipsi appropinquantibus corporibus attrahere, & heterogeneas repellere, tanquam spiritus minoris virtutis. Hic attractione & pulsione appetitus hominis nutritur & conservatur. Et quoniam hoc nutrimentum per omnes sensus & alios millenos modos fieri potest, imo si omnino alia nutrimenta deficerent, homini tamen nunquam cogitationes desunt, quibus affectus suos nutriat, neque hæ cogitationes, tanquam perpetua affectuum mancipia, unquam eis rebellare possunt; affectus humani perpetuam habent occasionem, se in proportione sua conservandi. Nam *affectus hominum per omnes sensus dispersi sunt*, & ab homogeneis spiritualitatibus in aliis corporibus alimentum suum accipiunt. Ambitiosus alios colores amabit, aliisque rebus oculos suos oblectabit, quam voluptuosus vel avarus: Aliis Musices generibus, alioque odore gaudebit, quam illi: Majorem habebit appetitum his cibis vescendi, in quibus avari & voluptuosi tam gratum gustum non inveniunt. Breviter: Pro differentia mixturarum affectuum, stomachus etiam & reliqua hominis viscera secundum qualita-

litates ſuas, imo ipſe ſanguis diſtinctus eſt. Cum itaque homo per omnes actiones ſuas, per viſum, auditum, olfactum, per cibum & potum, per cogitationes, imo fere per nudam reſpirationem affectus ſuos alat, nec ulla vis externa, præter DEUM, tanta ſit, ut eos durante vita hominis minuere nec augere queat; theſis noſtra manet inconcuſſa, mixturam affectuum humanorum in perpetua proportione, perpetuoque ordine manere, quemindeab eius nativitate tenuerunt.

59. Ac *occaſio* quidem & *conſuetudo* aliquamdiu efficere poteſt, ut affectus dominantes *impediantur*, ne externis actionibus ſeſe exerant, e. g. cum ambitioſus ob reverentiam ſuperioribus debitam, vel metu pœnæ, iram ſuam concoquere cogitur, vel cum infimus affectus *fortiter concitatur*, e. c. ſi idem ambitioſus per occaſionem aliquam ad voluptatem fortiter irritatur. Sed hoc ipſo *radix* & *ſemen* affectuum & cupiditatum nec augentur nec minuuntur, ſed priori modo ita res ſeſe habet, ſicut aqua in fluxu ſuo impeditur, eoque impedimento vis eius eo magis augetur, ut majore cum impetu poſtea prorumpat, poſteriori modo autem, ſicut in globo cavo, cui plus aëris violenter intruſus eſt, deinceps ſuperfluus aer, facta apertura, ſua ſponte rurſus exhalat, priſtino aëre in proportione ſua manente. Atque hoc eſt, quod vulgato proverbio dici ſolet: Naturam expellas furca, tamen usque

recurret, item quod veteres in fabulis Æsopicis puella in felem mutata significare voluerunt.

60. In demonstranda hâc thesi data opera aliquanto prolixior fui, quia contrarium, quod homo affectus suos ratione ætatis vel occasionis mutet, vulgo tanquam verum creditum est, & à plerisque eruditis quantum scio, propugnatur ac defenditur, *ipse etiam diu in hoc errore hæsi*, eoque iam cognito, non statim tamen falsas conclusiones ex eo derivatas cognovi. Et sequentia quæ adhuc dicenda restant, evidenter monstrabunt, quantum in eo situm sit, ut hunc errorem, qui unus ex principalibus istis atque præcipuis, per quem gentibus philosophia de veritate veræ sapientiæ recessit, appellari potest, ex fundamento & perspicue cognoscamus, neque decipiamur, ut ex actionibus hominis externis protinus de interna qualitate cordis eius judicemus, & vel ex actione aliqua, affectu infimo per occasionem non quæsitam fortiter irritato, statim concludamus, affectum hunc esse affectum hominis dominantem: vel ex affectibus aliquandiu forinsecus impeditis, vel studiò dissimulatis, de minori eorum virtute in corde hominis pronunciemus. Hoc ipsum maximum in cognitione sui & aliorum artificium est, externam apparentiam à corde hominis discernere. Gregorius Leti *in vita Sixti V, Pontificis*, elegans exemplum viri proposuit, qui ab in-

infimo gradu subulci ad summum gradum dignitatis pontificalis adscendendo, semper furibundam vindictæ cupidam imperandi libidinem sive ambitionem pro affectu dominante habuerit, etsi ea plane aliter in illo tanquam in subulco, deinde tanquam in monacho, &c. & ultimo tanquam in Pontifice extrinsecus apparuerit imo ab eo, tanquam Cardinali, affectata humilitate & simplicitate per aliquot annos tam affabre dissimulata fuerit, ut totam Romam & callidos alias atque versipelles Cardinales universos astute deceperit.

61. Pene dixerim, prætermissam cognitionem duarum simplicium veritatum illarum nimirum quod omnia vitia ex tribus illis in omnes homines imperium exercentibus affectibus, voluptate, ambitione & avaritia unice originem trahant, & quod naturaliter in corde hominis quoad ordinem affectuum ipsi dominantium mutatio nulla expectanda sit, in causa esse, quamobrem si non omnes, tamen plerique Philosophi, qui de affectibus scripserunt, & qui vulgo, quasi singulare quid & valde doctum scripsissent, magni æstimantur, tam enormiter hallucinati sint, ita ut simplicem iam eius rei cognitionem adepti, satis mirari nequeamus, quod homines tam stupidi fuerint, ut libros absurditatibus & contradictionibus refertos, admirari potuerint. Nam ut duo tantum exempla afferam, *Theophrasti Characteres morum*, item *Barclaji Icon animorum* fere ab omnibus mirifice extolluntur, ac hi qui-

quidem autores, quando de characteribus affectuum, sive de repræsentatione animorum agitur, allegantur quasi ipsorum præcepta essent oracula. Ego vero certus sum, nisi præjudiciis vel odio contra me occupatus fueris, sed veritatem præceptorum hactenus traditorum prudenter intellexeris, quod in singulis capitibus illorum duorum Scriptorum tot falsas doctrinas & contradictiones reperies, & inter decem propositiones vix duas numerare poteris cum veritate consentientes.

CAPUT XIII.

DE EXTERNIS SIGNIS AFFECTUUM HUMANORUM IN GENERE, IN SPECIE AUTEM DE SOBOLE TRIUM PRINCIPALIUM, OTIO IRA, ET INVIDIA, ITEM DE ÆMULATIONE, INDIGNATIONE ET ZELOTYPIA.

SUMMARIUM.

Cautela, ne in cognitione aliorum per externam apparentiam decipiamur, non tollit artem ipsam alios per signa externa cognoscendi. n. 1. Quod exemplo artis cognoscendarum Gemmarum declaratur. n. 2. Brevia præcepta generalia ad alios cognoscendos utilia: (1) Hæc ars evidentius exemplis, quàm nudis præceptis, traditur. n. 3. (2) Si alios cognoscere cupis, teipsum prius debes cognoscere. n. 4. (3) In cognitione aliorum sepone omnes affectus. n. 5.

(4)

(4) Disce actiones affectatas a naturalibus bene discernere n. 6. (5) Confer inter se diversas hominis actiones. n. 7. (6) Observa id quod celare vel non vult, vel non potest. n. 8. (7) Inprimis observa hominum Otium, Iram & Invidiam. n. 9. Cur homines hos Affectus vel non occultent, vel sub quo praetextu eos excusare studeant. n. 10 Otium non consistit in dormiendo. n. 11. neque in eo, ut Homo nihil vel parum agat. n. 12. neque in eo ut homini labor gravis sit ac molestus. n. 13. 14. neque in eo, ut de longo tempore queratur. n. 15. 16. 17. 18. Irrequieta impatientia in causa est, quod hominibus tempus sit nimis longum vel breve. Palpabilis stultitia impatientiæ hujus. n. 19. Otii natura in hoc consistit, quod homo in actionibus suis tantum delectationi suæ intentus est. n. 20. Tres classes actionum humanarum intuitu Otii & Laboris. n. 21. Quædam semper ad otium pertinent. n. 22. quædam plerumque, n. 23. quædam rarò. n. 24. Usus harum classium ad discernendum otium crassum à subtili. n. 25. Homo eruditus, imo eruditissimus intuitu eruditionis suæ potest esse maxime otiosus. n. 26. Summi Polyhistores & helluones librorum sunt omnium otiosissimi. n. 27. 28. Ex hoc otio literario de voluptate cum aliena, tum propria judicari potest. n. 29. Error communis sed pernicioſissimus, & e gentili Philosophia derivatus, otium eruditum esse rem indifferentem, imo laudabilem. n. 30. Quam diversis ex causis, diversoque scopo Ira pro affectu indifferenti habeatur. n. 31. Cupido vindictæ est ipsissima Ira, & secundum communem quoque opinionem eruditorum ac piorum per se mala. n. 32. Si Ira pro desiderio malum amoliendi sumitur, per se non est mala. n. 33. Sed tale desiderium cum Ira prioris generis sub communem definitionem redigi nequit, n. 34. adeoque Ira postremi generis vere & proprie non est ira, n. 35. sed proprie angustia seu dolor. n. 36. Confusio hæc iræ & angustiæ ex Philo-

so-

sophia Aristotelica, & ex divisione appetitus sensibilis in concupiscibilem & irascibilem orta est. n. 37. Inter iram, & irasci magnum est discrimen. Irasci (zürnen) molestè ferre, proprie idem denotat, quod dolorem testari, vel morosum se alicui præbere, vel colloquium cum aliis intermittere, amice cum altero non loqui. n. 38. Ab indifferentia igitur significatæ molestiæ ad indifferentiam iræ non est concludendum. n. 39. Ab Ira Divina ad indifferentiam iræ humanæ æque concludi non potest, ac à vindicta divina. Hypothesi illa, Scripturam DEO nihil tribuere quod apud homines proprie sit peccatum, non est universalis. n. 40. Iudicium de Lactantio, & ejus scribendi genere. n. 41. Lactantii sententia de ira, ejusque indifferentia. n. 42. Aliquot contradictiones seu petitiones principii à Lactantio commissæ. n. 43. Ad Lactantii errorem, iram ad pœnam necessariam esse, verbis Senecæ respondetur. n. 44. Per differentiam inter Zelum & Iram controversia non tollitur. Opinio, Iram esse injustam, Zelum verò bonum, est periculosa. n. 45. Quid proprie sit Invidia, & quomodo a tribus vitiis principalibus sit discernenda. n. 46. Invidia communiter sub nomine virtutum quorundam apparentium palliari solet. n. 47. Sub Æmulatione latet Invidia. Error periculosus, quod adolescentes ad æmulationem assvefiunt. n. 48. Indignatio vel cum ira, vel cum invidia est cognata. Carteſii, item Henrici Mori error, invidiam hanc esse rem indifferentem, imò bonam. n. 49. Zelotypia est species invidiæ, etsi vulgo fructus seu character amoris rationalis statuatur, n. 50. quia legerunt, DEUM Zelo uti. n. 51. Zelotypia è voluptate, ambitione & avaritia orta esse videtur. n. 52. Proprie tamen non oritur ex voluptate, n. 53. neque ex ambitione. Qualis sit Zelotypia ambitiosorum. n. 54. Zelotypia est formalis & ipsissima invidia, & ex avaritia originem trahit. Qui mixtu-

ram

ram habent voluptatis & ambitionis non sunt admodum zelosi, n. 56. Qui mixturam ambitionis & avaritiæ habent, sunt valde zelosi. Qualis sit hæc Zelotypia. n 57. Qui mixturam habent voluptatis & avaritiæ, eorum Zelotypia est portentosa. Qualis illa sit? n. 58.

I.

IN superiori capite sæpe monui, cavendum esse, ne in cognitione generis humani *apparentiâ externarum actionum* decipiamur, ut secundum externa de corde hominis judicemus, unde facile prævideo, quod multi hæc legentes concludent, cognitionem aliorum hominum nil esse nisi jactabundum commentum meum. Dicent enim: In dijudicandis affectibus non debemo intueri *externam apparentiam*, quomodo nimirum homines externas actiones suas instituant, & tamen jubemur alios cognoscere. Corda eorum immediate introspicere non possumus, sed *externis eorum actionibus*, quæ ex corde proficiscuntur, tanquam externis cordis characteribus nobis est innitendum. Jam si externa hæc signa fallacia sunt, nec iisdem inniti possumus, tota quoque ars tua tantopere jactata fallax est, & tu ipse qui has impostoras hominibus persvadere vis, non potes negare, teipsum consequenter etiam impostorem esse.

2. Sed bona verba quæso. Credo quod concessuri sitis, dari artem sive scientiam *bonitatem gemmarum & margaritarum cognoscendi*, discendique quemadmodum nativæ a suppo-

siti-

fititiis discernendæ sint. Notitia e *signis externis* in oculos cadentibus sumitur. Nihilominus potissima hujus artis doctrina est, ne *externo aspectu* decipiamur, nec suppositias gemmas pro nativis nobis vendere patiamur. Ecquis autem ideo hanc artem imposturam, & artifices impostores existimet? Totum potius vel præcipuum artificium in hisce rebus in eo consistit, ut *signa externa accurate observentur*, attente secernantur, & sicubi in cognitione plures characteres requiruntur, non ex uno tantum judicetur, &c. Ut itaque videatis, me non esse impostorem, totam artem paucis thesibus comprehendam, & ad majorem evidentiam semper simile illud de notitia gemmarum retinebo.

3. *Ars alios homines cognoscendi evidentius vivis exemplis, quam nudis præceptis tradi potest.* In ejusmodi enim rebus ac signis fundatur, quorum multa sensibus immediate potius quam intellectu comprehenduntur. Ecquis enim e. c. oculum libidinosum, falsum, invidum, iracundum verbis depinget, si monstrari non potest? Quis *vultum* & gestus hominis verbis exprimet, ex quibus judicatur an in ejus actionibus aliquid sit naturale, an affectatum, qui tamen per sensus cito comprehenduntur? Sic quis eruditus audebit diversitatem *aquæ & ignis* (ut vocant) *gemmarum*, quibus eæ inter se dignoscuntur, in subtilissima etiam dissertatione clarius describere, quam mercator gemma-

marius illas notas brevi tempore in ipsis gemmis monstrare potest.

4. *Si autem alios vis cognoscere, claro oculo instructus esse debes.* Hunc enim *præceptor* tuus tibi æque dare non potest, quam *gemmarius* homini gemmas cognoscere cupienti. *Clarus* hic *oculus* in eo consistit, ut *intellectum tuum prius a præjudiciis purgaveris, & temetipsum recte prius cognoveris.* Aliàs enim in cognitione aliorum sæpius hallucinaberis, quam rectè judicabis, certe nil solidi in hâc scientia præstabis. Sæpius expertus sum, multos artem homines cognoscendi discere voluisse, cum vero audivissent, quod per hanc viam eos intrare oporteat, fere omnes indignabundi vel tristes discesserunt.

5. *Ac etsi omnino clarum oculum afferas elaborandum tamen tibi est, ut in judicio de aliis hominibus ferendo affectus omnes, tam amorem, quam odium, &c. seponas.* Quæ *habere cupimus*, non semper tam accurate consideramus, quam si hoc appetitu vacamus, & cum aliquem *odimus*, facile nos præcipitabimus, ut gemmas ejus pro spuriis habeamus, *Principis* vero cujusdam *gemmas* ex præcipitatione facile pro nativis intueamur, licet sint falsæ & suppositiciæ. Ita affectus *amicorum* non tam pravi nobis videntur, quam *inimicorum.* Et *amicorum* actiones semper existimamus magis naturales nec affectatas, etsi sint arte compositæ, contra *inimicorum* actiones apertissimas habemus pro simulationibus.

6. Si jam ipse ad hanc notitiam bene præparatus es, potissimum hujus scientiæ artificium in eo consistit, *ut falsum splendorem, quem forte gemmæ ex impositione artificis acquisivit, vel ipsa de se spargit, a vero discernas.* Hoc est: bene observa actiones hominis, ut in iisdem *ea quæ è corde proficiscuntur ab affectatis, & spurium lumen à vera virtute* & amore rationali recte discernas. In hoc enim fere centrum totius scientiæ situm est.

7. Hic vero *diversæ hominis actiones* patienter tibi *conferendæ sunt, nec præcipitanter ex unica actione judicandum.* In dijudicatione rerum in sensus externos cadentium hoc generaliter requiritur, ut res istas *pluribus quam uno sensu* examinemus; quanto magis in rebus, quas scimus falsum splendorem plerumque edere. Gemmarii mercatores *diversa* habent *examina* in gemmis nativis à spuriis discernendis, & si vel maxime in hac regula exemplum à gemmis petitum non satis esset perspicuum, en aliud evidentius de *examine argenti & monetæ*, ubi non tantum tinnitus & color observatur, sed furno chymico etiam metallum examinandum imponitur.

8. Denique in hac meditatione prudenter observanda sunt ea *quæ homo celare non vult, vel celare non potest*, & inde præcipua fundamenta hujus scientiæ petenda sunt. Si gemma spuria omnes qualitates gemmæ nativæ haberet, non esset spuria. Ergo semper aliquid habet quo

quo falsitatem suam prodit. Quantumvis homo affectus suos celet, impossibile tamen ipsi erit, ut tam exacte caveat, ne sibi interdum verbum improvisum, vel nutus oculorum, aut qualiscunque gestus excidat, quæ in eius cognitione majora nobis documenta de affectibus ejus præbent, quam omnes præstigiæ, quas objicere nobis allaborat. Imo cum *quilibet homo affectum suum rem bonam esse existimet*, nunquam eum apud omnes promiscue *prorsus occultare* studebit, sed vel apud eos tantum quos metuit, vel apud reliquos crassissimas saltem ejus affectus actiones occultabit, quia deprehendit plerosque homines vitiosos etiam affectus, si temperantur, bonum quid, humanum certe putare, & quia hi qui plenariam eorundem extirpationem urgent, aut hypocritæ, aut fatui habentur.

9 Porro quemadmodum *gemmæ spuriæ peculiares notas habent*, dum e. g. Adamas Bohemicus aliter apparet ac Dresdensis, ita *Vitia* quoque *peculiares habent notas characteristicas, ad quas præcipue animus reflectendus est.* Has supra in Tabula expressimus, ubi voluptati *otium*, ambitioni *iram*, & avaritiæ *invidiam* tribuimus. Hæc vitia uti *certa* sunt atque *infallibilia* dictorum affectuum *indicia*, ita his occupati ea *minus occultare solent*, quam affectus primarios unde hæc oriuntur. *Voluptuosus* etsi appetitum delicate edendi ac bibendi, vel ad libidinem, celat, non tamen æque appetitum ad otium, & vitæ commoditatem celabit. *Ambi-*

bitiosus etsi desiderium suum quo laudari sibique blandimenta exhiberi, vel aliis imperare cupit, occultat, non tamen æquali studio cogitabit *iram* & *excandescentiam* suam plane premere. *Avarus* licet φιλαργυρίαν suam & omnia habendi libidinem dissimulat, tamen æque cautus non erit in dissimulanda *invidia* sua, sed sæpius queretur hunc vel illum aliquid possidere, cujus rei sit indignus, vel quod ipsi non sit utile, vel quod usurpare nesciat, & dolendum esse quod alter hæc non habeat, qui melius ea usurpare sciat.

10. Hoc vero inde fit, quod nobis ipsis & aliis persuademus, otium, iram, atque invidiam esse *affectus indifferentes*, nec opus adeo esse ut nos eorum plane pudeat, neque ut eos prorsus occultemus; vel quod existimamus, non omnia quæ tamen proprie eo pertinent, nomine tam mali affectus esse appellanda, adeoque inde à juventute consuescimus, ut *rebus reipsa ad otium, iram vel invidiam pertinentibus nomina virtutum imponamus*, quas Philosophus scit hæc nomina non mereri, atque hac ratione, quando non occultantur, ex eorum conspectu magna διδόμενα ad cognitionem aliorum inde sumuntur. Ac *otium* quidem nemo laudabit, sed quid sit otiosus, adhuc sub judice lis est, quis enim secundum vulgarem loquendi consuetudinem, hominem qui *delectationis causa studiis diligenter incumbit*, pro otioso habeat, qui vere tamen est otiosus. *Ira*

est

est mala qualitas, & in homine nunquam bona, nihilominus quia *DEUS* dicitur irasci, Deo autem malum aliquod inesse nequit, homo per id assidue quærit, quemadmodum iram suam bonam, vel certe indifferentem faciat. Quis pronunciabit, *Invidiam* bonam esse? nihilominus *zelotypia* à multis bona imo character veri amoris habetur, cum tamen in omni zelotypia Invidia sit pars ejus essentialis.

11. Jam ut tres illos affectus rectius cognoscamus, quippe qui plurimum ad notitiam humani generis contribuunt, paulo explicatius de illis agemus, & primum quidem de *Otio*. Otium quid proprie rei est? Respondent vulgo: *Quando nihil agitur, sed ignaviæ studetur.* Imperfecta vero hæc est definitio & valde obscura, quid enim est *ignavum esse?* Si idem est quod dormire, sequeretur, omnem somnum esse malum. Sin diu dormire significat, ingens inde controversia nascetur, quamdiu homini sit dormiendum, si otiosus haberi debeat, adde quod omnes, qui parum dormiunt & tempestive è sommo surgunt, non habendi essent pro otiosis, cum in Germanico ea ipsa de causa otium vocetur Müßiggang / (q.d. otiosa deambulatio) quod *ambulando magis quam jacendo aliquis otiari queat.*

12. Porro ubi hominem invenies, *qui plane nihil agat?* Mens hominis semper cogitat aliquid. Itaque otiosus certè *cogitabit*, *cogitatio* vero *non*

semper otium efficit. Potest enim eruditus bona & utilia quædam solus cogitare, cui injuria fieret, si pro otioso haberetur. Dicebat aliquis, se ideo diuturno somno indulgere, ut aliquid ageret, nec otiaretur & protecto *somnus etiam ad actiones humanas referendus est.* Si nihil præter actionem requireretur, facile *otiosus alios agendo interdum superaret.* E. c. Fingamus, ex duobus alterum per totum diem nihil egisse præterquam quod studiis incubuisset, vel Acta iuridica perlustrasset, alterum vero mane aliquot horas pilæ lusibus impendisse, inde curasse ut bene absterso sudore, calefactis linteis fricaretur, inde jentaculo sumpto usque ad tempus prandii legisse in Romancio, in prandio hospitem compotando strenue inebriasse, à prandio ludorum aliorum exercitatione motum sibi fecisse, inde in scenam prodiisse, dehinc ad pugiles, post ad præstigiatores, mox in cellam publicam; Vesperi large cœnasse, à cœna potu calido herbæ Coffeæ, item fumigatione Tabaci superfluos humores dissipasse, & ut simul aliquid ageret, in ludo latrunculorum ingenium exercuisse, &c. Quæso te, uter horum plus altero egit? & uter ex ambobus est otiosus?

13. Hoc quidem comprehendimus, *otium* & *laborem* esse opposita, nondum tamen scimus quid sit otium, cum in laboriositate totidem dubia occurrant, quot in otio. In multis aut paucis agendis differentia non est quæren-

renda. Fortasse quærenda est in *modo agendi*? *Labor mihi molestus est, otium jucundum. Labor* ergo consistet in actione *homini molesta*, *Otium* in actione homini *facili & jucunda*. Aliter fieri non potest. Hinc quoque Otium est *filia voluptatis*, quia ex otio voluptas quæritur.

14. Sed noli te præcipitare. Nondum es in rectâ viâ. *Homini laborioso magis est molestum*, seu tædiosum, *otiari quam laborare*; labor enim *consuetus* ei non est molestus vel durus. Otioso *molestissimum* sæpe est, cum non sine vitæ periculo muros transcendere cogitur, prohibitæ libidinis explendæ causa; cum sibi ipsi ægre facere cogitur, in arte bibendi cum summo tædio ac molestia addiscenda; cum instar opperarii triturantis vel lignum findentis, ludo pilæ &c. se defatigat; cum mortis fere anguistiam persentiscit, antequam fumo herbæ Nicotianæ assuescit; Cum tempus ei fit longum & tædiosum, conversatione optata carenti; cum ex adverso homini laborioso inter laborandum tempus non animadvertenti præterlabatur. Vides itaque molestiam non esse partem essentialem otii, sed istam *defectui consuetudinis* nude deberi.

15. An discrimen inter otium & laborem consistit in *moræ temporis impatientia*? Fortasse. *Otiosus* enim *moram temporis impatientissime fert*, si cum aliis otiosis non conversatur, ac etsi iisdem converteretur, delectatione tamen sæpe

variata careat, nihilominus temporis moram impatienter fert. Hinc apud hujusmodi homines usitata est hæc loquendi formula: Quid quæso incipiemus, temporis fallendi causa? Item: tempus tibi apud me molestum est, amice, non habeo quo tempus tibi fallam. Vicissim *laboriosis tempus nimis breve* videtur, & semper quæruntur, se nescire *cur tempus tam cito prætereat.* Concedo hæc, negari enim non potest neminem moram temporis impatientius ferre quam otiosos, vicissim laboriosis tempus plerumque justo brevius videri. Nondum tamen essentia otii in longa, laboris vero essentia in brevi temporis mora consistit.

16. Nam & otiosus sæpe queritur, *tempus sibi citius prælabi* quam putasset. Quando in hilari conversatione est, in ludo, vel in convivio, item si amica eius eum oblectavit, tempus plurium horarum ipsi vix horula, hora vero momentum videtur. Queritur, si cogitur jucundam conversationem relinquere, de tempore nimis repente prælapso, imo cum nondum præteriit, sed semihora vel quadrans horæ ipsi supereft, maximam delectationis suæ partem tam cito præterisse, & doloris, quem ex privatione boni sui imaginarii cepit, mox rursus futurum esse initium.

17. Vicissim *laborioso* quoque *temporis mora potest esse molesta.* Non omnis labor homini acceptus est, etsi vel maxime sit laboriosus. Si literatus triturare, tritor libris incumbe-

bere, tornator hortum colere, hortulanus tornare, mercator veredarius fieri, & veredarius computationi mercatoriæ vacare debeant, &c. puto his omnibus, quantumvis laboriosissimis, temporis moram durante labore fore molestissimam. Imo si moræ impatientia pars essentialis otii, moræ vero desiderium pars laboris essentialis esset, mirandum equidem non foret, quamobrem laboriosus moræ esset impatiens, si otiari cogeretur, sed otiosus etiam moræ non amplius futurus esset impatiens, quod falsum est, & in rei veritate aliter sese habet.

18. Præterea *moræ cum impatientia, tum desiderium qualitas est longe aliarum rerum quam otii & laboriositatis.* Non voluptuosus solum, sed etiam *ambitiosus* & *avarus* moræ est impatiens antequam bonum desideratum possideat, possessione autem hac breve saltem tempus durante, moram possessionis omnes tres tribus illis pasionibus imbuti plerumque impatienter ferunt.

19. *Tempus absolute unius ejusdemque semper quantitatis est.* Hora una altera, dies die nec longior, nec brevior est. *Humana* autem *imaginatio* homini tempus longius aut brevius repræsentat. Hæc vero imaginatio ex *inquietudine* proficiscitur. Nam cum homo mediocriter tantum in statu quieto vivit, tempus ei nec longius nec brevius videtur. Inquietudo autem oritur ex *Impatientia*, quam homo

sentit partim ob impatiens desiderium vel boni absentis, vel mali amoliendi, partim ex impatiente metu vel imminentis mali, vel desinentis boni. *Desiderium impatiens* tempus nobis efficit longius & *impatiens metus* brevius quam reipsa est. Applicatio facile ex hactenus adductis exemplis formari potest. Et hic *humanæ impatientiæ stultitia* bene observanda est. Quo propiores sumus rei quod bonum existimamus, vel liberationi à malo, & quo magis patientes secundum sanam rationem esse deberemus, eo plus crescit impatientia nostra, eoque plus de longo tempore conquerimur. Captivus qui parum spei liberationis habet, captivitatem consuetudine satis patienter fert. Spem nactus liberationis elapso semestri tempore, in prioribus mensibus patiens quoddam gaudium sentiet. Ultimus autem mensis longior ipsi apparet quinque prioribus, & postremus dies mensis ei videtur. Sponsus qui à sponsa diu abfuit, in reditu ultimum milliaris quadrantem pluribus milliaribus longiorum putabit. Vicissim cum finis bonæ, vel adventus molestæ rei appropinquat, ubi secundum sanam rationem tempus bene collocare, & ob ipsam temporis brevitatem nos præsentia boni delectare, vel absentiâ mali consolari deberemus, stulta impatientia iterum efficit, ut tempus nobis brevius videatur, quam revera est, & ut nos ipsos ante tempus infelices faciamus. Pavidus homo febri afflictus, febrim integra hora citius sentit

&

& ante ipsum paroxysmum, & stultus amator qui dimidiam horam adhuc reliquam habet, qua amicæ ei adesse licet, jam queri incipit, quasi dolorem ex eius absentia ortum reipsa sentiret, isque idem metus efficit, ut vere eum sentiat.

2. Sed ad Otium revertamur. Si essentiam ejus, item essentiam Laboriositatis circum circa spectemus, *otii essentia* in re nulla propius quærenda erit, quam *in ipsa voluptate, quæ otium gignit.* Nam omnes voluptuosi sunt otiosi, vicissim omnes otiosi sunt voluptuosi. Et sicut *voluptas in immediata delectatione* cibi, potus, & rei venereæ consistit, ita *otium in hujusmodi actionibus consistit, quæ ad hunc scopum directæ sunt, ut homo iterum reddatur idoneus ad fruendum voluptate sua, vel si ad eam ineptus est, ipse sibi tempus consumat, ne ipsi tam fiat molestum.* Breviter: Otium consistit *in actionibus, quibus homo nil aliud intendit, nisi delectationem suam, & temporis consumptionem,* adeoque nec propriam, nec aliorum utilitatem, sed unice oblectationem præsentis fruitionis respicit. Unde cum alias in tota Philosophia morali scopus hominis potissimum sit intuendus, ita etiam in dijudicando otio. Paterfamilias in agrum expatiatus, ut operarios observet, non otiatur, quamvis nihil agat, item ægrotus deambulans, quia Medicus hoc consilium ei dedit, non otiosus est, alter vero qui temporis fallendi causa obambulat, item ut corpus suum per motum illum ad convivandum ido-

idoneum reddat, otiatur. Magister artis saltatoriæ qui præcepta saltandi tradit, item scholaris, qui Lectiones saltandi addiscit, ut in hoc exercitio habitum acquirat, vel eas saltando exercet, proprie non sunt otiosi, sed qui delectationis aut temporis fallendi causa saltat, otiosus est. Qui pilæ ludo se exercet, ut pulvis diaphoreticus, a Medico ipsi ordinatus melius operetur, aut morbus imminens per sudorem præcaveatur, non est otiosus, sed qui in pilæ ludo delectationis causa se exercet, otiosus est, & sic in aliis.

21. Cum itaque actionum humanarum aliæ *præter delectationem & temporis consumptionem usum nullum habeant*, aliæ vero *plerumque* ab hominibus *ad delectationem* usurpentur, etsi ad utilitatem & ad conservationem bonorum hominis usurpari etiam possent, aliæ denique ab hominibus *ut plurimum ad utilitatem* adhibeantur, etsi id aliquando etiam solius delectationis causa fiat; ita in dijudicandis quoque actionibus humanis, an hæ ad otium referendæ sint, nec ne, caute procedendum est, ut non *prima* solùm *classis* otio accenseatur, verum etiam secunda, quatenus hunc vel illum hominem non respicimus, sed absolute quærimus, an ad otium an vero ad laborem aliquid pertineat, hujus generis res enim locantur in classem, ubi à potiori fit denominatio. Quod *tertium genus* concernit, hujus generis actiones majorem partem ad laborem pertinent, sed quia homo iis ad otium abu-

abuti potest, cautio illa mihi adhibenda est, ut actiones illas non in omnibus hominibus accipiam tanquam signum absentis ibi voluptatis.

22. E. g. *Vorare* & *potare*, i.e. superfluè edere & bibere, vel stylo mundi politici, *convivari, bachanalia celebrare, ad hilaritatem bibere*, vel aliquanto elegantius, *scyphum vini cum amicis bibere*, item *cum sexu muliebri libidinosè conversari*, nullum plane usum habent, sunt enim actus immediati voluptatis, nec aliis hominibus prosunt, nec illi qui se his rebus delectat, quia vitam suam his decurtat. Et ita hæ nunquam labori accenseri possunt, etsi quis ita voraret & potaret, ut totus sudaret, aut hoc ipsi valde molestum & operosum esset; sed ubi talia data reperiuntur, sine ulla exceptione pro datis voluptatis haberi possunt, & homo, qui libenter convivatur, vel libidinosè cum mulieribus conversatur, pro *voluptuoso*, & si ipse hæc sæpe instituit, vel his rebus procul quasi allici potest, *voluptuosissimus* existimandus est, maxime vero si nihil fere aliud ageret, quam ut hujusmodi in rebus variaret.

23. *Saltatio* autem, item *ludus pilæ* & *latrunculorum*, & plerique alii ludi, interdum quidem ad conservandam sanitatem, vel ad recreationem tum corporis, tum animi labore defatigati, nec non ad lucrum usurpari possunt; *plerunque* tamen media sunt ad tempus voluptuosis consumendum, eosque præservandos, ne quid utile agant. Cavendum itaque est, ne ex unico

co quodam actu, si hominem saltantem vel ludentem videam, protinus concludam eum esse voluptuosum, sed ut observem, quomodo se in aliis actionibus gerat. Quod si autem videam, eum his rebus delectari, easque sæpe iterare, non errabo si eum pro otioso ac voluptuoso habeam.

24. *Triturare, lignum findere, tornare* &c. ordinarie quidem non sunt modi, quibus voluptuosi tempus consumant, si itaque videam aliquos hujusmodi manuum laboribus strenue operam dare, non errabo, si pronunciem, eos parum habere voluptatis. Nil tamen in mundo est tam portentosum, quod non fiat, & nihil tam ordinarium, quod non extraordinarie ad aliud quid usurpetur, nam *pilæ lusus* æque fortem motum requirit, ac triturare vel lignum findere. Potest homo robustus sanus & voluptuosus durante convivio per horæ spatium *animi oblectandi causa triturare* vel *lignum findere*, ea intentione ut deinceps plus vorare posset. Potest libidinosus ancillæ amore flagrans per horam *cum ea triturare*, ut occasionem habeat eam ad nefarium concubitum persvadendi; idcirco hunc laborem triturandi vel lignum findendi non equidem in abstracto ad otium referrem: non injuriâ tamen *laborem hominis hujus*, tanquam otiosi, quem in otio suo perageret, otio annumerarem. Uti igitur erraret, qui ex tritura istius hominis, ipsi cætera ignoti, de ejus voluptate judicare vellet, ita similiter erraret, si inde quod

eum

eum vidisset triturantem, alias ignotum concluderet eum non esse voluptuosum.

25. Breviter: duplex est, *otium*, *crassum & subtile*. *Priores duæ classes* ad otium crassum pertinent, eisque tanquam si quis infallibilibus, certè raro fallentibus otii, & per consequentiam voluptatis tuto uti possumus. *Tertia species* ad otium subtile refertur, quæ nullum alium usum præstat, nisi ut caveamus ne id nos decipiat, nec voluptuosus sub eo delitescat. Porro *distinctæ* dantur species & quasi *gradus otii cum crassi, tum subtilis*, hunc usum præstantes, *ne* in cognitione præcipue nostri vel etiam aliorum, *illud tanquam virtutem intueamur*, præsertim cum philautia humanum genus jam seduxerit, ut *eruditissimi quoque vulgo illud tanquam virtutem prædicent.*

26. Ita philautia fere omnes eruditos fascinavit, ut ægre sibi persuaderi patiantur, *in literatura etiam otium latere*; imo hunc hominem phantasticum existiment, qui hoc defendere audeat. Illud quidem concedunt, *literarum studiis ad ambitionem & vindictæ libidinem*, item ad *avaritiam* & lucri cupidinem aliquem abuti posse. Sed abusus ad otium nimis paradoxus illis videtur. Nemo equidem negabit, posse otiosum fortasse semel & rarissime studiis æque ad voluptatem uti, sicut de labore triturandi & ligni findendi diximus: Sed *hominem libris assidue incumbentem, certe maximam temporis partem eruditis tribuentem, otiosum esse*, hoc mul-

multis videtur æque à ratione abhorrere, quam si hominem gnaviter triturantem, vel ligna findentem, otiosum putarem.

27. Nihilominus pura veritas est, *hominem eruditissimum, multæ lectionis, & qui magnam sibi rerum cognitionem comparavit, qui in effectu pro Polyhistore haberi potest, otiosum esse posse.* Attende modo an studiis suis sibi vel aliis prosit; an vero propriæ tantum delectationis causa literis incumbat. Non aliter ac insignis in pilæ ludo artifex quotidie sphæristerium frequentans otiosus est, quia voluptatem suam hoc labore explet, & per eius rei consuetudinem plus delectationis sentit quam molestiæ; Ita homo cui vi consuetudinis studia non amplius operosa sunt, & qui per ea cupiditatem suam plura indies addiscendi, tantum incitavit, in studia tanquam jucundissima oblectamenta cadere potest, ita ut nil aliud agat, quam ut quotidie omnes Bibliothecas, omnia bibliopolia perreptans in omni scibili undique omnia conquirat, ac secundum vulgatum illud, helluo librorum fiat, & tamen sit otiosus. Imo, quod magis videtur paradoxum: Maximi librorum helluones, qui in studiis nihil aliud agunt, nisi ut semper nova legant, eruditorum longe otiosissimi sunt: Sibi enim & aliis minime prosunt, eo ipso, quod figi nequeunt, sed cerebrum mille rebus impleverunt, & plura quotidie infarciunt.

28. Itaque illos cum his *qui triturando vel lignum*

gnum findendo quotidie occupantur, non comparabis. Nam etsi tritor vel lignator per consuetudinem habitum quasi sibi comparat, ut triturare vel lignum findere ipsi non si admodum operosum nec molestum sed ab hoc labore non amplius abhorreat; tamen hæc actio ita comparata est, ut ad voluptatem naturâ parum sit idonea, dum nec sensibus nec intellectui jucunditatem vel titillantem delectationem afferre potest, & hunc præcipue finem habet, ut homo aliorum commodis hoc labore inserviat, & vitam suam sustentet. Ac etsi opponas, hos *Polybistores tamen intellectum suum emendare, & judicium acuere*, adeoque se idoneos reddere ad aliis inserviendum, hoc tamen doctrinæ nostræ parum incommodabit. Nimia præparatio magis reddit inidoneos, quàm idoneos. Quid juvat cultrum per aliquot horas acuere? Aciem enim totam detero, ut nihil tandem maneat reliquum. Parum acui oportebat, ac deinde scindendo acie cultri obtusa, iterum acui, hoc regulæ prudentiæ postulant. Hoc ipso eo deteriores sunt hi otiosi, quod humano generi prodesse possunt, quandoquidem ad hoc satis sunt idonei, neque hoc tamen faciunt. Quæso te, quid judicas de homine, *in ludo latrunculorum quotidie se exercente*, nec aliud quippiam utile agere volente, sed hoc ipso se excusare quærente, quod hoc ludo judicium suum quotidie acuat, & collusores suos doceat, judicium suum similiter acuere? Nam etsi judicium suum in in-

finitū acuant, manent tamen otiosi, & conversatio cum his hominibus nil efficit, nisi otiosos, æq; ut conversatio cum eruditis, qui talentum suum defodiunt, & ad solam jucunditatem studiis occupantur.

29 Quapropter nequaquam, aut raro errabimus, si *ex hujusmodi studiis illorum hominum, voluptatem eorum* discimus cognoscere imo hæc nota characteristica tanto magis attendenda erit, quia hi interdum, (non omnes quidem, nam in multis ea satis est palpabilis:) voluptatem suam magna ex parte celare didicerunt, vel quia aliquis hoc adjumento seipsum examinare potest, *ne propriam voluptatem* parvi æstimet, si in tali studiorum genere hæreat. Tales licet non manifeste ac publice quasi vorent & potent, tamen soli vel cum paucis delicate cœnant. Etsi non admodum pudicitiam mulierum tentent, non sunt tamen valde rigorosi custodes pudicitiæ suæ. Occupantur *studiis ad consumptionem temporis*, quia ad hunc finem obtinendum non magnopere aliorum consortio opus habent, nec metuendum ipsis est, ut Autor cum illis rixetur; quando eum irrident, vel erroris arguunt, item si eum relinqvunt, & alium eligunt, qui magis ipsis arridet. *Hanc temporis consumtionem etiam in conversatione cum sui similibus quærunt*, ac reipsa plus delectationis & minus molestiæ in eo deprehendunt, quam in ludis aut saltationibus, præsertim si huic conversationi *vinipotus*, *bellaria*, *herba Nicotiana*, *concentus instrumentorum mu-*

musicorum adjungantur, si *novellæ* unà perlegantur, & *discursus ex iis* instituatur. &c.

30. Porrò quanta est hujus rei certitudo, & evidentia apud eos qui præjudiciis vacant, tanta attentione ea observanda est, nec existimandum, opinionem contrariam, *quasi otium eruditum aliquid boni sit*, nullius esse momenti. Non erubescunt equidem *otio erudito* gloriari, idque *adolescentibus tanquam rem pretiosissimam repræsentare*; hi otiosi habentur quasi prosemideis, aliisque tanquam exempla hominum virtuosorum, pacificorum, & fere omniscorum proponuntur, quos imitari debeant. Cur vero? Nimirum Philosophia gentilis, sive Aristotelica sive Cartesiana, vel quomodocunque ea vocetur, sibi *DEUM* imaginatur tanquam *essentiam otiosam*, mille ideis & cogitationibus ludentem, iisque se oblectantem, & cum Philosophia hominem eo perducere debeat, ut DEO similis fiat, necessum esse ut talis otiator sit semideus, quia speculationibus atque se oblectet. &c. Hæc opinio sicut inter Evangelicos etiam vulgatissima quidem, sed pernicioſa tamen, nec ab Atheismo procul remota est; ita eo magis cavenda est, & certo credendum, nisi huic errori seriò renunciemus, nos plane ineptos esse ad nos ipsos & alios cognoscendos.

31. Jam de *Ira* etiam, tanquam *filiâ ambitionis* aliquid dicendum est. Impossibile est è malo affectu, bonum affectum oriri. Proinde statim in principio dixi, *Iram semper malum esse*

affectum (a) illud etiam postea in Meditationibus meis Paschalibus latius explicavi. Cum autem sciam hoc dogmate pios etiam homines interdum offendi, qui Iram, ut alios indifferentes affectus indifferentem statuunt; aliis vero autoritatem sive Aristotelis, sive Lactantii obstare; alios denique malitiam cordis humani nondum recte cognoscere, quod iram suam injustam sub indifferentia occultare satagit, adeoque in doctrina de notitia sui plurimum interfit, ne ambitioni, alioqui versutissimæ, latum angvem cedamus, operam dabo, ut veritatem doctrinæ meæ, quantâ possum, perspicuitate proponam. Ipsique adversarii mei certò sibi persuadeant, me cognitione veritatis coactum, non tam contra ullum alium hominem, in hâc & præcedenti materia (nempe de otio erudito) quàm contra proprium cor meum scribere, ac secundum naturales affectus meos, quantovis pretio quasi emere velle, ut studia jucunditatis causa suscepta aliquid boni essent, & ut ira esset indifferens.

32. Proinde extra dubium est, *Iram, prout eam supra* (b) *definivimus*, vèl breviter *cupidinem vindictæ*, ab omnibus, certe à plerisque tam eruditis quam ineruditis, *pro ira vera ac proprie sic dicta haberi.* Non enim tantum in vita communi, cum de ira loquimur, hanc vindictæ cupidinem intelligimus, sed & ipsi Philo-

(a) c. 6. n. 30, n. 32, seq. (b) c. 10. §. 39.

losophi iram sic definiverunt. (c) Ipse etiam Lactantius fatetur, hanc definitionem veram iram notare, etsi hoc iræ genus per se malum (d) esse dicat, & in hoc cum eo consentimus, nisi quod inquirendum nobis sit, num præter hanc iram aliud adhuc detur iræ genus, quod bonum sit.

33. Qui hoc affirmant, communiter ajunt, *Iram* nihil aliud esse nisi *affectum, qui malum sentit*, & secundum hunc sensum hunc sensum hominem *impellit, ut à malo illo sese liberet*. Et hoc desiderium, inquiunt, *DEUS cordibus hominum implantavit*, æque ut alios affectus indifferentes, ergo ira per se mala esse non potest. Est enim *desiderium mali amoliendi* æquè, si non magis, rationale, quam desiderium boni acquirendi.

34. Jam ambabus manibus largimur, si ira hoc modo definiatur, *iram esse rem indifferentem*. Sed hæc definitio de *longe alio affectu* loquitur, quam de irain priori significatione, nec cum ira prioris significationis facile sub uno Iræ genere quod utramque iram sub se comprehendat, continetur. Nam *duæ hæ species toto cœlo differunt*. *Illa* vindictam expetit, tanquam rem bonam, & injuriam sive malum jam superavit; *Hæc* vero a præsenti malo solum liberari cupit, sine vindictæ cupidine. Illa of-

(c) c. 2. §. 19. & 40. Lactant. de Ira Dei c. 17. p. m. 809. Senec. de Ira Lib. 1. Pater. Phil. Pract. Tab. 4. & 9. ibique annot. 20. & 44. (d) Lactant. d. l.

fensivè, hæc defensivè agit. Jam si hæ duæ species comprehenderentur tanquam species univocæ sub *ira tanquam genere univoco, quomodo hæc ira esset definienda?* Necesse esset ut hæc ira sit affectus tam bona quàm mala, tam præsentia quam futura respiciens; id quod nemo tamen affirmaret; quoniam tunc ira *non amplius* esset *peculiaris affectus*, sed hac ratione omnes affectus generatim possent *iræ* nomine appellari, id quod iterum esset absurdum:

35. Igitur si duæ hæ distinctæ iræ significationes sub communem definitionem referri nequeunt, sed *plane distinctas & oppositas habent definitionis, referendæ erunt inter æquivoca*, & inter has significationes *unam saltem* oportet esse *propriam, alteram vero impropriam.* Omnes vero concedunt iram quatenus est vindictæ cupido, esse iram proprie dictam; imo ipsa Scriptura, de ira hominis loquens, intelligit vindictæ cupidinem; Ergo alteram significationem oportet esse impropriam ac proinde qui concedunt iram vindictæ esse malam, iram tamen qui quærat a malo liberari bonam esse, nihil obtinuerunt, nisi *quod ira sensu improprio non sit mala*, quod idem fere est, ac si quis defenderet, canem latrare, alter vero statueret, canem non latrare, intelligens Sirium, in asterismo cœlesti, posterior enim controversiam de lana caprina adversus priorem inciperet.

36. Nam in Ira proprie dicta, seu vindictæ cupidine semper invenitur *Dolor antecedens ob ma-*

malum cum verum, tum imaginarium, quod deinde sequitur cupido mali abigendi, inde post hanc (nonnunquam simul) desiderium lædentem rursus affligendi. Jam sana ratio postulat, *ut diversæ res diversis etiam nominibus appellentur, & ne rebus quæ jam propria nomina habent, nomen proprium alterius rei imponatur*, ne confusio sine necessitate inducatur. Vindictæ cupido omnium consensu, proprie Ira appellatur. *Sensus mali* vocatur *Dolor*. *Desiderium mali removendi* pro diversitate circumstantiarum, *Metus*, item *Angustia* &c. dicitur. Ecquid igitur me commoveat, ut angustiam quoque iram vocem? præsertim cum nemo intelligat, quid velim. Quis me intelligeret, certe non sentiret, absurde me locutum esse, si dicerem: Heri infanti cibum deglutienti aliquid incidebat in arteriam, ut pene suffocaretur, totus facie excandescebat & tantopere *iratus* erat, ut præ *Ira* manibus pedibusque calcitraret. At si loco Iræ, *angustiam* dico, omnes me intelligunt.

37. Unde autem orta est hæc confusio, ut desiderium mali removendi, sive *angustiam* cum *Ira* confuderint? Certe non aliunde, nisi *ex Philosophia Aristotelica*. Secundum illam docent, appetitum sensibilem duas habere facultates, concupiscibilem & irascibilem, ac irascibilem quidem malo, sive impedimento boni, vel malo removendo (quod eodem recidit; nam impedimentum boni, vel mali removendi certe

est malum quid) occupari. (e) In favorem hujus loquendi formulæ eruditi nostri consueverunt, desiderium mali removendi Iram vocare, cum tamen ipse Aristoteles iram ad facultatem concupiscibilem appetitûs sensibilis, irascibili oppositam retulerit, (f) adeoque ipse quasi concesserit, facultatem irascibilem improprie accipi. Adde quod jam suprà demonstravimus, quod divisio affectuum secundum desiderium boni vel mali, vel secundum has duas facultates, in doctrina de affectibus plus confusionis quam emolumenti afferat. (g)

38. Deinde etiam distingvendum est inter *Iræ* vocabulum, & *irasci*, (quod in lingua Germanica significantius vocatur zůrnen) seu moleste ferre, nam licet hoc (irasci, zůrnen in Germanico) *secundum Grammaticam Iræ* cognatum sit, *in doctrina morali* tamen ab Ira significatione discrepat. *Ira* est desiderium vindictæ. Actus sive exercitium hujus desiderii vocatur *Iratum esse*. Sed Germanicum *Irasci* (zůrnen) non significat iram exercere, ne malum quidem removendū quærere, sed dolorem vel molestiam super aliqua re sentire. Ita *irascebatur* Ionas, quod exaruisset cucurbita. Non *Irascebatur* Ionas neq; cucurbitæ, neq; vermi neque Deo: sed moleste ferebat. Vel *irasci* (zůrnen idem denotat quod, vultum amicum homini subtrahere, cum eo non loqui, quod Germanice dicimus

(e) cap. 2. n. 9. (f) Pater. d. Tab. 4. & 9. & ibi annot. 20. & 44. (g) cap. 4. n. 5. & 6.

mus, Schmullen / Maulen: Quæ significatio quidem ad iram propius accedit, quia iratus, quando vindictæ cupidinem non dissimulat, cum inimico etiam non loquitur, ab ira tamen etiam separari potest. E. g. Si pius homo, malo homini, cui antea humanum & familiarem se præbuerat, is vero ei malum retribuerat, quod pius ille moleste ferret, quamdiu malus insidiose ei nocere pergit, familiaritatem suam erga eum, sine vindictæ tamen cupidine ac inimicitia, subtrahit.

39. Igitur sicut in aliis loquendi formulis non semper de verbis ad verbalia concludere licet (h) ita nec *de indifferentia irascentiæ*, ad probandum, *iram esse indifferentem*, *concludi potest*. Vulgo quidem afferri solet dictum: *Irascimini & nolite peccare*, (i) sive ut in Psalmo legendum est: *Si irascamini, nolite peccare*, (k) simulque notatur: Irasci, tanquam rem indifferentem, licitum esse, nisi modus excedatur & peccetur. Cæterum Theologus quidam pius & Christianus, quem honoris causa non nomino, observavit, Matth. V. v. 22. ubi Lutheri versio Germanica textum ita reddidit: Wer mit seinem Bruder zürnet (*qui fratri suo irascitur*) in Græco textu additam esse particulam, εἰκῇ, i. e. *temere*, vel *sine causa*, & ita inter irasci, & temere vel vane irasci, distingvatur. Sed ad hæc breviter respondeo, hæc

(h) Ita carnes facit lanio, sed tamen non est carnifex.
(i) Eph. V. v. 26. (k) Psalm. IV.

omnia tantum indifferentiam τῦ *irasci*, seu molestè ferre, non autem *Iræ*, vel τῦ *iratum esse*, demonstrare.

40. Quod autem *DEUS* dicitur *iram habere* & *irasci* hominis iram non justificat, sicut *vindicta* DEO reservata, vindictam hominis non justificat. Inde etiam, quod DEUS homini vindictam prohibet, & tamen dicit, ipsius esse vindictam, prospicue intelligimus, doctrinam illam veram non esse, sed fortasse è Metaphysica scholastica vel ex Pneumatici prodiisse, quando prætendunt: *Scripturam quidem, cum DEO affectus tribuit, loqui ἀνθρωποπαθῶς, sanctitati tamen divinæ Majestatis repugnare, si DEO unicum verbum tribuatur, quod apud nos in propria significatione aliquid peccati includat,* Hæc enim hypothesis aperte fluit ex opinione Scholasticorum alibi latè refutata essentiam sanctam divinam esse normam actionum humanarum, secundum jus naturæ instituendarum. Cum inter naturam divinam & humanam, etiam intuitu virtutis & vitiorum insignis hæc differentia sit, ut, quemadmodum homo certas virtutes habet, quæ ne ἀνθρωποπαθῶς quidem de DEO prædicari possunt, v. g. *obedientiam, gratitudinem* &c. ita etiam quædam sint, quæ in homine sunt vitia (quia naturæ hominum in totum æquali contraria sunt) quæ de DEO tamen, cum infinitis modis nomine sit superior, optime prædicari possunt; inter quæ præcipue numeran-

rantur *vindicta* & *Ira* cum aliis ex his derivatis Quid enim magis est, vitiosum, quam homo crudelis? Crudelis autem est, qui alios homines excruciat, & hoc ipso lætatur. DEUS vero de seipso dicit: *quod se convertere velit in crudelem quod impiis illusurus sit in calamitate sua.*

41. Quæ denique *Lactantius* de indifferentia Iræ hominis passim in libris suis, in specie vero in libro suo *de Ira DEI* tradidit, contra ea multa opponi possent: Breviter: Lactantius bonus quidem fuit orator, â Latinitatis elegantia commendandus, & qui res suas rhetorice proferre didicit, sed ubique miser Philosophus. Bonam quidem intentionem in libris suis habuit, ut Christianam doctrinam gentilismo præferret, & gentilium Philosophorum dogmata refutaret; sed iam alii ostenderunt, & quilibet Historiæ philosophicæ mediocriter gnarus ipse perspicere potest, Lactantium opiniones Philosophorum, adversus quos disputat, non recte intellexisse, sed sæpe illis alienam mentem affinxisse & sæpe eos non ex simplici fundamento sacrarum literarum, sed ex argumentis apparentibus ex præceptis aliorum ethnicorum petitis refutare; vel sæpe eum artibus rhetoricis lectorem fucatis quidem & splendidis verbis ad se allicere, sed quæ absque fuco spectata, lectori vel incertitudinem suam statim produnt, vel magis eum confundunt. Quod prolixe etiam possemus demonstrare, si ea omnia examinare vellemus, quæ de indifferentia Iræ hu-

humanæ commemorat. Potisſima ſaltem afferemus, videlicet quomodo mentem ſuam de Iræ definitione aperiat.

„ 42. Ira vero ait: (a) Neſciſſe philoſo-
„phos, quæ ratio eſſet iræ, apparet ex defi-
„nitionibus eorum, quas ſeneca enumerauit
„in libris quos de ira compoſuit. Ira eſt,
„inquit, cupiditas ulciſcendæ iniuriæ. Alii,
ut ait Poſſidorius, cupiditas puniendi eius, a
„quo te inique putes læſum. Quidam ita
„definierunt: Ira eſt incitatio animi ad nocen-
„dum ei, qui ant nocuit, aut nocere voluit.
„Ariſtotelis definitio non multum a noſtra ab-
„eſt. Ait enim, iram eſſe cupiditatem dolo-
„ris rependendi. Hæc eſt ira, de qua ſupe-
„rius diximus, quæ etiam mutis ineſt: in ho-
„mine vero cohibenda eſt, ne ad aliquod ma-
ximum malum profiliat per furorem. Hæc in
„Deo eſſe non poteſt, quia illæſibilis eſt; in ho-
„mine autem, quia fragilis eſt, inuenitur. In-
„urit enim læſio dolorem, & dolor facit ultio-
„nis cupiditatem. Ubi eſt ergo illa ira ad-
„verſus delinquentes? quæ utique non eſt
„cupiditas ultionis, quia non præcedit injuria,
„non dico de iis, qui adverſus leges peccant,
„quibus etſi iudex ſine crimine iraſci poteſt:
„fingamus tamen, eum ſedato animo eſſe de-
„bere, cum ſubiicit pœnæ nocentem, quia
„legum ſit miniſter, non animi aut poteſtatis
„ſuæ, (ſic enim volunt, qui iram conantur
„euellere) de iis potisſimum dico, qui ſunt

(a) De ira Dei cap. 17. no-

„ noſtræ poteſtatis, ut ſerui, liberi, ut conju-
„ ges, ut diſcipuli, quos cum delinquere vi-
„ demus, incitamur ad coercendum. Neces-
„ ſe eſt enim, omni bono ac iuſto diſplicere quæ
„ praua ſunt, & cui malum diſplicet, movetur,
„ cum id fieri videat. Ergo ſurgimus ad vin-
„ dictam, non quia læſi ſumus, ſed ut diſci-
„ plina ſeruetur, mores corrigantur, licentia
„ comprimatur. *Hæc eſt ira iuſta*, quæ ſicut
„ in homine neceſſaria eſt ad prauitatis cor-
„ rectionem, ſic utique in Deo, a quo ad ho-
„ minem pervenit exemplum. Nam ſicuti nos
„ poteſtati noſtræ ſubiectos coercere debe-
„ mus: ita etiam peccata univerſorum Deus
„ coercere debet. Quod ut faciat, iraſcatur
„ neceſſe eſt, quia naturale eſt bono, ad alterius
„ peccatum moveri & incitari. Ergo definire
„ debuerunt: *Ira eſt motus animi ad coercenda*
„ *peccata inſurgentis*. Nam definitio Ciceronis,
„ Ira eſt libido ulciſcendi, non multum a ſu-
„ perioribus diſtat. Ira autem quam poſſu-
„ mus vel furorem, vel iracundiam nomina-
„ re, ne in homine quidem debet eſſe, quæ
„ tota vitioſa eſt: ira vero, quæ ad correctio-
„ nem vitiorum pertinet, nec homini adimi
„ debet, nec Deo poteſt, quia & utilis eſt re-
„ bus humanis, & neceſſaria.

43. Iam conſidera quæſo præcipua dogmata abſurda & ſibi contradicentia ſeu petitiones principii, a Lactantio hic prolatas: 1. Ira ſecundum quorundam opinionem eſt cupiditas ulciſcendi, ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut *nocere vo-*

voluit. Hæc ira in Deum cadere non potest, quia Deo nemo *nocere potest*. 2. Quia homo est *fragilis*, in eo inuenitur ulciscendi libido, hæc enim *naturaliter* ex dolore mali proficiscitur: Et tamen est *vitiosa*. 3. Homo iram injustam *cohibere* debet, ne enormiter lædat, & tamen in homine plane *esse non debet*, quia tota est vitiosa. 4. Posito vel concesso, judicem *non debere irasci*, tamen ira ad coercendos delinquentes requisita, homini *non est adimenda*. 5. Iudex non irascatur, quia *legum minister est*, non animi aut potestatis suæ; sed licet liberis & servis &c. *secundum legem naturæ* dominari debeamus, irasci tamen iis possumus 6. Ira hominis erga liberorum suorum malitiam est *vere bona*: vir *justus* enim huic irasci debet. 7. Ad hominem in ira justa *a Deo* pervenit exemplum, & Deus tamen malos punire debet, *sicut homo* eos punire solet. 8. Ira est *justa*, justo enim naturale est, irasci. &c.

44. Ergo non opus est, ut in refutando Lactantio tempus consumamus. Quia enim hanc quæstionem potissimum tractat, *an Ira ad pœnam maleficorum sit necessaria*; *Seneca* vero de hac controversia egregias meditationes memoriæ prodidit, pauca saltem ex eo huc transcribamus; Ita vero ait: Quid ergo? vir bonus „non irascetur, si cædi patrem suum viderit, „si rapi matrem? Non irascetur, sed vindica„bit, sed tuebitur. Irascuntur boni viri pro „suorum injuriis: sed idem faciunt, si calida

non

non bene præbeatur, si vitrum fractum „
est, si calceus luto sparsus est. Non pietas „
illam iram, sed infirmitas movet: sicut pue- „
ri, qui tam parentibus amissis flebunt, quam „
nucibus. (b) Et alibi: (c) Non potest, in- „
quit Theophrastus, fieri, ut ne bonus vir „
irascatur malis. Isto modo quo melior quis- „
que, hoc iracundior erit: Vide nec contra „
placidior, solutusque affectibus, & cui nemo „
odio sit. Peccantes vero quid habet cur o- „
derit, cum error illos in hujusmodi delicta „
compellat? Non est autem prudentis, erran „
tes odisse: alioquin ipse sibi odio erit. Co „
gitet quam multa contra bonum morem fa- „
ciat, quam multa ex his quæ egit, veniam „
desiderent. Iam irascetur etiam sibi. Ne- „
que enim æquus judex aliam de sua, aliam „
de aliena causa sententiam fert. Quanto „
humanius, mitem & pacatum, animum „
præstare peccantibus: & illos non persequi, „
sed revocare? Errantem per agros ignoran- „
tia viæ, melius est ad rectum iter admovere, „
quam expellere. Corrigendus est itaque qui „
peccat, & admonitione, & vi; & molliter & „
aspere: meliorque tam sibi quam aliis fa- „
ciendus, non sine castigatione, sed sine „
ira. Quis enim cui medetur, irascitur? „
At corrigi nequeunt, nihilque in illis spei „
bonæ capax est. Tollantur e cœtu mor- „
ta-

(b) Seneca de ira lib. I, c. 12. (c) ibid. c. 14. seqq.

„talium, facturi peiora quæ contingunt: &
„quo uno modo possiunt, desinant mali esse:
„sed hoc sine odio. Quid enim est cur ode-
„rim eum, cui tum maxime prosum, cum il-
„lum sibi eripio? Nunquis membra sua odit,
„tunc cum abscindit? Non est illa ira, sed
„misera curatio. Rabidos effligimus canes,
„trucem atque immansuetum bovem cædi-
„mus, & morbidis pecoribus, ne gregem pol-
„luant, ferrum demittimus; Non ira, sed ra-
„tio est, a sanis inutilia secernere. Nil mi-
„nus quam irasci punientem decet: cum eo
„magis ad emendationem pœna proficiat, si
„judicio lata est. Inde est, quod Socrates
„servo ait: Cæderem te, nisi irascerer. Ad-
„monitionem servi in tempus sanius distulit,
„illo tempore se admonuit. Cuius erit tem-
„peratus affectus, cum Socrates non sit au-
„sus se iræ committere? Ergo ad coercitionem
„errantium sceleratorumque irato castigatore
„non opus est. Nam cum ira delictum animi
„sit, non oportet peccata corrigere peccan-
„tem. Quid ergo? non irascar latroni? non
„irascar venefico? Non. Neque enim mihi
„irascor, cum sanguinẽ mitto. Omne pœnæ ge-
nus, remedii loco admoveo &c. Itaque
„etsi perversa induenda magistratui vestis, &
„convocanda classico contio est: procedam
„in tribunal, non furens, nec infestus, sed
„vultu legis: & illa solemnia verba, severa
„magis gravique, quam rabida voce concipi-
„am, & agi jubebo non iratus, sed severus.

Et

Et cum cervicem noxio præcidi imperabo,„ & cum mittam in ſupplicium militare, & cum „ Tarpejo proditorem hoſtemve publicum im-„ ponam, ſine ira, eo vultu animoque ero quo„ ſerpentes & animalia venenata percutio. Ira-„ cundia opus eſt ad puniendum. (ais) Quid „ enim? videtur lex iraſci his quos non novit,„ quos non vidit, quos futuros non ſperat? Il-„ lius itaque ſumendus eſt animus, quæ non„ iraſcitur, ſed conſtituit: Nam ſi bono viro„ ob mala facinora iraſci convenit, & ob ſe-„ cundas res malorum hominum invidere con-„ veniet. Quid enim eſt indignius quam flo-„ rere quosdam, & eos indulgentia fortuna?„ Sed tam commoda illorum ſine invidia vide-„ bit, quam ſcelera ſine ira.„

45. Mallem igitur, in præſenti quæſtione, an ira ſit licita? diſtinctionem *inter Iram* & *Zelum* omitti, qua nonnulli utuntur, qui *Iram* rejiciunt; *Zelum* vero bonum ac licitum ſtatuunt. Vereor enim, ne ira & Zelus ſint unum idemque, & ne *Zelus* etiam ſit *cupido vindictæ*, & ne cor humanum hanc diſtinctionem invenerit, ad zelum aliorum tanquam iram illicitam vituperandum, propriam vero iram, tanquã zelum licitum excuſandum vel laudandum. Novi equidem dici poſſe, zelum non eſſe vindictæ cupidinem, ſed *contriſtationem* ſuper injuria vel damno quæ bonis inferuntur, cum *ſerio propoſito* lædentem avertendi, aut eum adigendi ut læſo ſatisfaciat, ſive quod non ſit ira, ſed indignatio, ita vero zelum cum odio lædentis

non esse confusam, sed impulsum tantum esse amoris erga læsum. Uti autem raro contingit, ut amor meus erga læsum tam rationalis sit, quemadmodum id mihi persuadeo, valde tamen operosum est, ut in hoc zelo, amicos defendentes, irâ & odio erga lædentem plane soluti maneamus, etsi cor nostrum id nobis persuadeat. Imo palpare aliquis potest, hac ratione *omnem fere iram sub tegumento zeli vel indignationis excusatam iri.* Agnosco *zelum Phineæ* laudari, sed hic *zelus divinus* erat & *præternaturalis*, qui *divinæ iræ* æquiparandus est. Hoc vero magis est operosum, seipsum examinare, num affectus in nobis a Deo excitentur, ad quod examen & notitiam *Philosophia moralis* est insufficiens.

46. Restat adhuc *Invidia.* Non memini me legisse, *quod ullus unquam Philosophus Invidiam affectum indifferentem esse statuerit, præter Cartesium* (a) & ejus assecias. Natura enim ostendit, quod plane sit irrationale, *super secundis rebus alterius contristari, præsertim super fortuna, quæ nobis non prodest, quamque non appetimus, & per quam nobis nihil decedit.* Nam cum contristamur super bono, quod appetimus, vel appetebamus, non tam invidia est, quam *voluptuosa* vel *ambitiosa* libido, vel ipsissima *avaritia*, non filia ejus. Ac tum contristamur non tam ad bonum ab altero possessum, quam

(a) De Pasion. Part. 3. art. 182. conf. §. 49.

quam ob malum, quod ea re privamur, in qua beatitudinem noſtram quærimus.

47. Nihilominus humanæ cupiditates homines ſicut in aliis vitioſis affectibus, ita in hoc quoque ſeduxerunt, ut affectum hunc turpiſſimum, ſub nomine virtutis occultarent. Et quoniam per naturam ſuam invidia longius remota erat ab hoc, quod alias virtutis nomen obtinebat (quibus rebus alias per ſuperiores annotationes, mixtura Voluptatis & Ambitionis ſpecietenus ſimillima videbatur) homines novas quasdam *appellationes virtutum* quarundam *ſpuriarum* invenerunt, quibus nomen *Invidiæ* tegerent, & ſpurias has virtutes æque ut ipſam invidiam ſub amore rationali occultarent.

48. Id vero variis modis effecerunt. *Æmulatio* ſic dicta certo modo huc refertur. Nam licet in æmulatione duo vel plures de re aliqua ita contendant, ut quisque eam appetat, adeoque æmulationi major ineſſe videatur appetitus boni, quam triſtitia ſuper bono alieno, tamen ſub æmulatione plerumque *latet* clandeſtinum odium ejus, quem æmulamur, & conſequenter etiam Invidia. Æmulatio certe intercedebat inter duas meretrices coram tribunali Salomonis ſuper vivo infante: Invidia tamen alterius meretricis ſub hac æmulatione latens tandem prorumpebat his verbis: *Neque mihi, neque tibi*, quibus ſignificabat, majorem ſe dolorem percipere, ſi altera vivum

puerum posſideret, quam ſi ipſa hoc careret. Nihilominus *Æmulatio* communiter pulchra & laudabilis virtus habetur. Non enim de adultis tantum dicitur: Honeſta inter hos eſt æmulatio; ſed homines etiam, qui ſemina virtutum pueris inſtillare debebant, i. e. Præceptores & Profeſſores *in Academiis & ſcholis trivialibus juniores in tenera juventute ad æmulationem aſſuefaciunt*, imo adhortantur. Taceo brutalitatem *certandi*, magis adhuc turpem, in ſcholis tamen frequentiorem. Ac videtur mihi *Erhardus Weigelius* in Radicali inquiſitione vitiorum in ſcholis graſſantium hanc materiam prolixius tractaſſe, qui libellus a veritatis amantibus diligenter legi meretur.

49. Deinde alius eſt affectus, qui *Indignatio* appellari ſolet, Hic abſolute, mea quidem ſententia, nil aliud eſt, quam id quod Germani vocant **Verdruß**/ quaſi dicant, moleſtiæ ſignificatio, eſtque parvum quoddam principium *doloris*, ſive dolor in minori gradu. Uti vero ob diverſas res homo moleſtiam percipere poteſt; ita & indignatio apud Moraliſtas diverſimode accipitur. In ſpecie interdum de *moleſtiæ ſignificatione ſuper malo amicis noſtris ab aliis illato*, vel de moleſtia *ſuper bono, quod indigni poſſident*, cum bene meriti hoc careant, percepto, ſumi ſolet. *Prior* ſpecies cognata eſt cum *Ira*, ab eaque aliter non differt, niſi quod Indignatio eſt Ira ſuper injuria aliis illatâ, Ira vero indignatio ſuper injuria no-

nobis ipsis illata. (a) *Posterior* autem species *Invidiæ* cognata est, in eo tantum ab eo distincta, qvod Invidia nequaquam alios respiciat, qui bonum, cui invidemus non possident, Indignatio vero Invidia sit pallio amoris induta, quia cor nostrum malitiam suam hoc ipso obvelare studet, ut nobis persuadeat, nos alteri bonum non invidere, sed tertii potius infelicitatem dolere, quod his facultatibus aut bonis careat, quæ in altero cum invidia intuemur. Ita namque dicere solemus: Miseret me hujus hominis, qui cum tantos labores sustineat, in egestate vivere cogitur, dum alter iste ignavus, prodigus, & otiosus pecunia abundat, & in neminem beneficium ullum confert. Si ego tantum haberem pecuniæ, quantum aliis benefacerem, &c. Sub hoc amore fucato mera latet Invidia, imo ipsissima Avaritia. Si enim amor esset, contenderemus, ut in eos, quibus apparenter condolemus, de nostris, facultatibus beneficos nos exhiberemus. Sed hoc prætermisso, cor nostrum id unice quærit, ut alter bonis suis exuatur, vel ut ipsi ea concupiscamus. Nam si alter ille, cui condolemus, ea possideret, invidia nostra æque in ipso aliquid inventum esset, quod vituperaremus, eumque bonis suis indignum judicaremus. Et inde facile intelligi potest, quid statuendum sit de *opi-*

(a) vide c. 2. §. 40. p. 67.

nione Carteſii, (b) quando ait: *Invidiam eſſe paſſionem, quæ ſemper vitioſa non eſt, ſed quatenus ſit indifferens ad bonum & malum, eſſe affectum qui ſit ſpecies Triſtitiæ mixtæ Odio, quæ inde procedit quod videmus bona fortunæ accidere iis quos his indignos arbitramur. Et hunc affectum amore naturali Juſtitiæ in nobis excitari, qua indignamur, eam non obſervari in diſtributione horum bonorum, qui zelus ſit excuſabilis, præſertim cum bonum, quod aliis invidetur, ejus eſt naturæ, ut in malum abire poſſit in eorum manibus, ut ſi fuerit aliquod munus vel officium in cujus exercitio male verſari poſſint. Imo cum quis ſibi ipſi appetat idem bonum, nec poſſit illud conſequi, quod ab aliis qui illo indigniores ſunt poſſideatur, ita reddi hunc Paſſionem violentiorem, nec tamen ideo deſinere excuſabilem eſſe, modo odium quod continet ſolum reſpiciat prævam diſtributionem boni quod invidetur, & non perſonas quæ illud poſſident aut diſtribuunt. Henricus Morus* (c) hanc Invidiam *optimis affectibus*, a DEO nobis donatis, annumerare non erubeſcit, quæ omnia ex præſenti obſervatione facile refutari poſſunt.

50. *Zelotypia* vero omnium *chariſſima filia* Invidiæ eſſe videtur, dum hæc per illam pro *ipſiſſimo amore* venditatur, Qui libros amatorios ſcripſerunt, certatim allaborarunt, ut Zelotypiam in numerum veluti ſanctorum re-

(b) Carteſ. de paſſ. Part. 3. art. 138. (c) Henr. Morus Enchir. Eth. l. 1. c. 11. f. m. 35.

referrent, eamque non per exempla tantum sed etiam per argumenta specioſa, falſasque demonſtrationes pro *fructu neceſſario ac charactere amoris rationalis* venditarent, cum in rei veritate nihil aliud ſit, niſi *Invidia* falſis coloribus obducta. Moraliſtæ in diverſas ſententias abeunt, dubia *quid de Zelotypia definitione ſtatuant.* Ac vulgo quidem aiunt, Zelotypiam eſſe *Affectum mixtum*, ſed quibus ex affectibus præciſe mixta ſit, vel non concordant, vel rem non ſatis perſpicue explicant.

51. Iſtud quidem non eſt controverſum, *Zelotypiam*, quatenus ea pro peculiari affectu ſumitur, eſſe *Cruciatum, quam homo inde percipiat, quod perſona amata alterum amet, vel ab altero ametur.* Hoc ſaltem quæritur, *unde hic oriatur cruciatus*, & *ad quemnam affectum principalem* is reducendus ſit. Nos jam in priori parte Ethices multis rationalibus probavimus *Zelotypiam ad amorem rationalem non pertinere*, ſed irrationale eſſe, aliquem ideo odiſſe, quod amet id quod nos amamus: vel alium præter nos amet (d) Et communis opinio contraria *Zelotypiam ex nimio amore* proficiſci, inde orta videtur, quod legerunt, *DEUM* ſæpe de ſeipſo affirmare, quod ſit *Zelotypus*: Unde concluderunt, quia eſſentiam peccati magis in collatione cum eſſentia divina incomprehenſibili, quam cum ipſa hominis eſſentia quæſi-

(d) Part. 1. c. 6. n. 19. ſeqq.

verunt, Zelotypiam hominum non esse malum vel peccatum, sed affectum intermedium. Nos vero Paulo ante indicavimus, & exemplo crudelitatis demonstravimus, quod homo non semper actiones suas secundum actiones divinas instituere debeat, & quod DEUS multa facere queat, Salva ipsius sanctitate, quæ homini sine peccato ne cogitare quidem liceat.

52. Itaque cum Zelotypia humana ex amore irrationali oriatur, porro quæritur, an origo ejus sit ex *Voluptate*, ex *Ambitione*, an ex *Avaritia*. Ac primo quidem intuitu videntur *omnes tres affectus aliquid de ea participare* Zelotypus *invidet* rivali suo, (id quod ex *avaritia* proficiscitur) eidem nec non personæ amatæ *irascitur* (quod effectus est *Ambitionis*) metuit ne amorem ejus amittat. Postremum hoc effectus *voluptatis* esse videtur. Adde quod Zelotypia ob res in quibus formale voluptatis consistit, fortissime sese exerit, in amore nimirum personarum diversi sexus.

53. Etsi autem non negem, ad Zelotypiam omnes tres affectus primarios aliquid contribuere; præterea quoque existimem, nullum in mundo hominem esse, qui si non sæpe, tamen interdum hoc affectu corripiatur, qualiscunque idem sit mixturæ; hoc tamen, statuo, & ipsa id autopsia demonstrat, hominem homine magis hoc portente impeti? Proinde si inquiramus, *quis ex affectibus prin-*

ci-

cipalibus majorem, & quis *minorem* partem ad Zelotypiam contribuat, videtur *voluptati minima* portio deberi. Verum est, Zelotypiam in voluptuosis fortius *tumultuari*, ideo tamen non ex eadem certissime *oritur*, quandoquidem *non omne voluptatis genus* comitatur. Voluptuosus est inconstans, ergo parum curat, si ipsi simile quid rependatur, imo personis amatis raro spatium concedit, ut inconstantes fiant, vel ut ipsi occasionem Zelotypiæ præbeant, sed plerumque eos inconstantia sua prævenit. Voluptuosus per naturam suam ad *lenocinia* potius quam ad Zelotypiam inclinat, & plus cupiditatis sentit, ut propriam etiam uxorem vel filiam lenociniis prostituat, dummodo interea delicatus ipsi cibus & potus præbeatur, vel hoc ipso sese ab uxoris Zelotypia liberare queat, quam ut aliis propterea invideat, vel ideo alicui rei irascatur. Deinde, accurate adhuc inquirendum esset, an Zelotypus vere *metuat*, ne gratiam amatæ personæ amittat, an vero sibi tantum hoc persuadeat, vel hoc tanquam prætextu utatur cum eius Zelotypia reprehenditur, invidiam suam sub illo occultandi. Posito autem, metum eius quod amat amittendi in Zelotypo revera reperiri, is tamen *metus avaritiæ* magis quam voluptati tribuendus esset, partim quia superius ostendimus, avaros valde etiam esse meticulosos; partim quia voluptuosa illa brutalitas amorem huius individui, adeoque & e-

jus amissionem, quoad alia adhuc supersunt, non admodum curat.

54. *Ira* vero *ambitionis* Zelotypiam quidem semper comitatur, non tamen ipsa est *Zelotypia*, sed eam *sequitur* & Zelotypia Iram *præcedit*. *Ambitiosus* tamen *ad Zelotypiam valde inclinatus est*, quia ægre patitur, ut alii præter ipsum honorifice tractentur, sed ipse solus cor amatum possidere cupit, adeoque quærit ut in amore suo cordi personæ amatæ dominetur. Hoc quidem pati potest, ut alii eam ament, dummodo ipsi prærogativam concedat, alios vero excruciet: Hoc ipso enim impense delectatur. Sed si persona amata alios præter ipsum amat, hoc rebellionis loco habet; eique plus irascitur, quam rivalibus suis, imprimis si rivalis amasiam ipsi non abalienavit sed is ab ea magis irritatus est, quam ille eam irritavit. Si vero ille rivalis cor amasiæ eius expugnare laborat, ad odium quidem ac iram adversus eum commovebitur, id vero non tam ex Zelotypia, quam quod alter audeat se ipsi æquiparare, vel hoc quod secundum regulas honestatis dividere nequeat, cum ipso divisum tenere. Hoc vero odium, vel ira ista minus fortis & potens erit, quando rivalis suis veluti meritis cor amasiæ expugnare contendit, quam si id mendaciis & calumnia adversus eum efficere tentat. Imo cum ipse cor amatæ personæ nondum obtinuit, & cor rivalem nactus est; sæpenumero accidit, ut uter-

terque rivalium, si ambo sunt ambitiosi, inter se paciscantur, ut quisque quam maxime potest ad scopum suum enitatur, sine obtrectatione alterius, quo cor personæ, quam uterque amat, expugnet. Etsi autem inter rivales nulla unquam intercedat amicitia, tamen non semper inter ipsos invenitur inimicitia imo *conditio rivalium ambitiosorum non ita commode Zelotypia appellare potest*, dum præcedentes circumstantiæ ostendunt, quod nullum inde cruciatum sentiant, quod persona amata ab altero ametur, vel alterum amet; sed dum neuter ipsorum adhuc amatur, æmulatio potius inter illos est, quam Zelotypia. Cum autem ambitiosus cor amasiæ jam expugnavit, & deinceps rivalem nanciscitur, tum cruciatus, quem inde percipit, non tam oritur ex amore alterius erga dilectam eius, vel ex amore dilectæ erga alterum, quam ex imaginatione, existimationem suam hoc ipso lædi vel alios ex dominio eius se velle liberare.

55. Proinde Zelotypiæ nihil remanet præter *Avaritiam* & *Invidiam*. Supra diximus, quod Avaritia neminem prorsus amet, omnia vero tanquam propria habere desideret, & quod dominium bonorum privatum ab avaritia inventum sit. Ita voluptatem etiam propriam habere vult, seu personam illam quam se amare prætendit. Non curat, an cor ejus possideat; & se ei acceptum reddat, dummodo alius id non possideat. Et sicut cor

suum

ſuum ipſi dare non poteſt, quia creaturis inferioribus adhæret, ita minus habet amoris erga illam, ut patiatur, alterum ei cor ſuum donare. Ergo *Zelotypia* in eo nihil aliud eſt, niſi *Invidia*, quæ cor eius excruciat. Si princeps eius, item uxor eius alium amat, ille alteri hunc amorem invidet: Si alter Principem, vel uxorem ejus amat, principi vel uxori amorem illum invidet; Odit alterum tanquam furem, qui ei id auferre velit, quod per imaginationem avaritiæ ſuæ ejus proprium eſſe debeat

56. Quare ubi *Avaritia* eſt, ibi etiam eſt *Zelotypia*, & *ubi parum eſt avaritiæ, ibi parum etiam eſt Zelotypiæ.* Et uti ſupra diximus, quod in mixtura voluptatis & ambitionis non ſit tam mala apparentia, quam in reliquis mixturis; ita quoque hæc mixtura ob paucitatem avaritiæ *parum Zelotypiæ* habet. Si *voluptas prævalet* ambitioni, Zelotypiâ quidem corripietur ſi homo flagitioſus & abjectus ab amaſia eius amatur, ſi autem ille eum amat, ejusque amicus eſt, eodemque fere cum ipſo eſt ingenio, ad communionem magis cum illo, quam contra eum ad Zelotypiam inclinabit. Sin *ambitio voluptate ſuperior* eſt, non facile quidem rivalem tolerabit, magis tamen Zelotypiam adverſus perſonam quæ amatur, quam quæ amat, exercebit, imo cum ſentit, rivalem ſuum eſſe hominem luxurioſum vel avarum, qui parum habet ambitionis, hoc facile eum ſeducet, ut amatam per-

personam non magni amplius æstimet, sed eam abdicat.

57. *Ambitiosus*, item *avarus validam* habent *Zelotypiam*. Si *ambitio prævalet*, ea magis erga personam amatam, sin *avaritia*, erga rivalem exercebitur. Ambitio magis laborabit, ut Zelotypiam dissimulet, avaritia vero magis se patefaciet, at si semel homo Zelotypiam dissimulare constituit, avaritia ad dissimulationem magis erit idonea quam ambitio, ambitio violente ultioni inhiabit, & iram suam fortius adversus amatam personam emittet, avaritia magis erit insidiosa, magisque contra rivalem exercebitur. &c.

58. Homo *voluptuosus*, idemque *avarus portentosam* habet *Zelotypiam*. Modo enim certo sibi persvadet, se justissimam habere causam Zelotypiæ, ac impossibile esse, ut persona amata innocentiam suam tueri queat. Modo in se ipsum omnem culpam reiicit, & se tam credulem fuisse miratur. Modo sibi proponit, amicitiam cum amasia solvere, & amorem ejus ejerat: imo exquisitissimis conviciis ei insultat; Modo amor eum rursus occupat, eamque impensius quam prius, amat, ac si ea paullo difficiliorem ei se præbeat, nec multum ipsi blanditur, culpam deprecatur, & ante pedes ejus posternitur. Horum tamen Zelotypia fortius irritata, præsertim si potentiam habeant, sæpe crudelia, portentosa licet exempla designat. Et ad hanc classem pertinet illud Se-

ne-

necæ: *Ira amorem ardentisſimum vincit: Transfoderunt itaque amata corpora, & in eorum, quos occiderunt, jacuere complexibus.* (e)

CAP. XIV.

De

REMEDIO AMORIS IRRATIONALIS, A RATIONE SIBI RELICTA SUPPEDITATO, SIVE DE ARTE RATIONALI PRAVOS AFFECTVS COERCENDI.

SUMMARIUM.

Connexio. Tres pravi Affectus coercendi & extirpandi ſunt, amor autem rationalis elevandus. n. 1. Æque cogitandum eſt de extirpatione amoris irrationalis, quam de elevatione amoris rationalis. n. 2. Incipiendum eſt ab extirpatione malorum affectuum, & in his paſſionis dominantis. n. 3. Homines comuniter contra hoc monitum impingunt. Dum affectus infimos plus oderunt, quam dominantem, & coercitionem dominantis naturæ ſuæ impoſſibilem putant. n. 5. Ita vero omnis emendatio fruſtranea eſt, & paſſio dominans magis alitur. n. 6. Homo quotidianis actionibus paſſionem ſuam dominantem alit. Ergo Conſuetudinem cum natura confundat. n. 7. Accurate inquirendum eſt, quænam paſſio apud nos ipſos ſit paſſio dominans, præſertim cum hæc difficulter inveniri queat. n. 8. Imprimis ſi ea de alio affectu multum admixtum habeat. Magna eſt differentia inter: Cogito, ergo ſum; & inter: Cogito, taliter, ergo ſum talis. n. 9. Ad inquirendum affectum

(e) Seneca de ira lib. 2. in fine.

ctum dominantem sincera intentio, & exquisita attentio requiritur. n. 10. Compendium inquirendæ passionis dominantis per repræsentationem electionis ut quis inter tres distinctas mulieres, quarum prima formosa, secunda nobilis, tertia dives sit, unam in uxorem ducat. n. 11. In formandis exemplis proportio bene observanda est. n. 12. in quem finem ad alia plura ejus generis exempla nos examinemus. n. 13. tamen & hæc examina non adeo tuta & certa sunt. n. 14. Optimum artificium est, ut consideremus, cujusmodi sint cogitationes nostræ, quibus animi causa oblectamur. n. 15. Cognita passione dominante homo præiudicia voluntatis suæ inquirat & deponat. n. 16. Ad deponendum præjudicium imitationis multum contribuet, si homo considerabit nihil magis esse jucundum, glorioſum & utile, quam virtutem. n. 17. voluptuosos vero ambitioſos atque avaros vera delectatione frui, impossibile esse. n. 18. Ad deponendum præjudicium impatientiæ homini considerandum est, non posse emendationem simul, & una die, obtineri, nec desperandum ipsi est, si initio non admodum sensibiles emendationis progressus sentiat. n. 19. Deinde passionem dominantem subtracto alimento, i. e. vitanda prava conversatione, & fugienda occasione, oppugnare debet. n. 20 amorem autem rationalem per honestam conversationem, ac exercitationem in actionibus virtuosis, elevare. n. 21. Porro, præcedente tamen justo examine virium suarum, tentare eum oportet, quantos progressus fecerit, in defensione sui adversus prava exempla & occasionem. n. 22. Facto tentamine se examinabit, quis fuerit rei eventus. n. 23. Quid homini faciendum sit, si deprehendit se vel facile vel cum labore vicisse. n. 24. vel contraria ratione, se aut post diuturnam resistentiam, aut facile in certamine succubuisse. n. 25. Applicatio

ge-

generalium horum præceptorum in specie ad voluptuosos. n. 26. ambitiosos. n. 27. & avaros. n. 28. Ad hæc præcepta omnia reduci possunt, quæ Philosophi de coercendis affectibus, & de emendatione hominis scripserunt. n. 29. Error est, juvenem non esse idoneum auditorem Ethices. Quo maturius homo se emendare incipit, eo meliores, & quo tardius, eo deteriores habet progressus.

I.

HActenus omnium hominum naturam & affectus in genere consideravimus, & in omnibus hominibus tres dari passiones vitiosas dominantes, amorem rationalem minori virtuti præditum veluti captivantes, ostendimus, iam etiam videbimus, quænam *remedia nobis ratio suppeditet* ad amorem irrationalem supprimendum. Ac philosophi quidem in diversas sententias abeunt, in hac quæstione: *An Affectus supprimendi vel plane extirpandi sint?* Hic tamen eorum dissensus magis é quæstione præjudiciali oritur: *An Affectus sint boni, an mali, an indifferentes?* Nemo enim tam irrationalis erit, ut statuat bonum supprimendum seu extirpandum esse, vel qui prætendat, malum non extirpandum, sed aliquam ejus partem esse retinendam. Sed qui affectus extirpari debere contenderunt, omnes affectus malos esse statuerunt; Et qui affectus omnes moderandos tantum voluerunt, omnes eos existimarunt indifferentes. Cum vero supra (a) ostenderimus, alios affectus bonos, alios

(a) Cap. 6. n. 8.

alios vero malos esse, inde necessario sequitur. (b) *motum malorum affectuum plane extirpari, motum vero bonorum magis magisque crescere oportere*, non quidem in extraordinario eorum sensu, sed in contrario motu ad bonum. Porro cum homo tres malos affectus, & unum bonum in se contineat, sua sponte sequitur, quod homo secundum regulas prudentiæ totis viribus eo eniti debeat, ut *tres malos affectus supprimat, vel extirpet, amorem vero rationalem elevet.*

2. Et licet supresso amore irrationali, futurum est, ut amor rationalis sua sponte emergat, dum a tribus illis affectibus vitiosis, ut supradictum, vinctus quasi ac captivus tenetur; Unusquisque tamen convincitur interna pugna & cogitationibus se mutuo accusantibus, quia mali affectus cum bonis certant, *amorem irrationalem æque per elevationem amoris rationalis supprimi, quam amorem rationalem per suppressionem amoris irrationalis elevari posse*, ac proinde tam de amore irrationali *extirpando*, quam de amore rationali *elevando* cogitandum esse.

3. Ac ab *extirpando* quidem amore irrationali incipiendum est. Si Medico ægrotus periculoso morbo laborans offertur, potius de abigendo per utilia remedia morbo cogitat, quam, de confirmanda valetudine per bonam salubremque diætam. Et ægrotum nactus tribus morbis simul decumbentem, studiose

(b) conf. d. c. 6. n. 11. & 12.

solicitus est, quemadmodum morbum illum, qui altissimas radices egit, tanquam ægroto *periculosissimum*, tollat vel extinguat, reliquos vero, qui nondum tam firmiter inhærent, interim impediat, ne latius grassentur. Voluptas, ambitio & avaritia singulæ homini æque sunt periculosæ, quia singulæ amorem rationalem æque oppugnant. Proinde necesse erit, ut in remedio adversus tres illos affectus inprimis sanctio pasienis dominantis addentatur; præsertim cum hæc alioqui, quamdiu cum duabus reliquis concurrit, illas ordinarie sub se deprimere soleat. Jam affectu dominante supresso deinceps proxime sequens, & tandem tertius & infimus eradicandus est.

4. Hoc etsi rationi maxime consentaneum sit, eo melius tamen & clarius nobis imprimamus, quo magis *quilibet homo cupiditatibus suis seductus* adversus id impingere solet, & quo magis *vulgaris Philosophia has seductiones interdum autoritate sua confirmavit.* Nam cum quilibet homo nævos suos apud se deprehendat, & ratio ipsi dictitet, ut hos nævos tollat, ideo *amor sui* erga pasionem ejus dominantem eum decipit, ut in emendatione sui fere negligat pasionem dominantem aggredi, sed *affectum alloqui* in tribus illis *infimum* adoriatur, sive quod homines præ nimio stulto amore erga pasionem suam dominantem, eam bonam, certe non tam malam existimant quam infimam, sive quod etiamsi malitiam affectûs dominantis agnoscant

scant, tamen stultum esse arbitrantur, de ejus supressione cogitare, cum hæc passio sit ipsa eorum natura, *naturam vero mutare sit impossibile.*

5. Observare enim quotidie licet, complures homines *tantum erga infimas passiones suas odium gerere*, ut eas etiam in aliis maxime reprehendere sciant. Præsertim si illæ his in summo gradu inhæreant. Ita libidinosi, seu stylo mundi politico amantissimi homines ambitiosos ab amore abhorrentes, & hi illos vicissim, item voluptuosis, avaros avari voluptuosos bibaces mulierosos, & hi illos culpabunt. E contrario videbimus, nisi forte ex causis specialibus odii cujusdam aliter agamus, quod communiter vitia affectus nostri dominantis etiam in aliis, si illi nobis indifferentes, etsi enormiter magis, quam in nobis ipsis prorumperint, quodammodo excusare studeamus. Sic prædicti libidinosi super scortatores & adulteros; avari, voluptuosam simul misericordiam habentes, super fures & falsos monetarios non admodum justos judices sese exhibent. Inde etiam fit, si *ambitiosus voluptatem* insectans monetur, ut *iram* & *superbiam* suam coerceat, ut idem respondeat sibi hoc esse *impossibile*. Ego vero, inquit, nescio è gula, crapula & scortatione ullam delectationem capere. Patet enim hoc esse vitam bestialem & immundam. Deo sit gratia, qui inde à juventute hunc animum mihi largitus est, ut ab hujusmodi peccatis abstinerem, & eorum tentationes feliciter superaverim. Libenter etiam

Iram vellem intermittere, & doleo me irasci; Potestis etiam cogitare, me parum ira delectari, quoniam illa corpori meo tantum incommodi affert. Coercere tamen illam non possum, cum video tantum iniquitatis. Ecquis non irascatur, famulis suis vel aliis homuncionibus tum rustice & contumelioſe sibi insultantibus? Ego vero non irascerer homini de fece plebis, huic inutili terræ ponderi, priorem locum præ me occupanti? Officii ira est, quam habeo: Non curo præcedantie sequar sed in successorum meorum præjudicium nihil remittere possum &c. *Voluptuosus* idem facit, *superbiam* & *iram* culpans, cum *voluptas* eius ipsi objicitur. O stultos, inquit, & insanos homines, qui vanum oculi nutum, ventum gloriolæ, aliorum genuflexionem tanta moleſtia & labore mercantur, & velut mancipia se tractare patiuntur, qui irascuntur aliis vultum morosum ipsis præbentibus, vel eos obtrectantibus. Hoc enim nihil neque eorum sanitati, neque facultatibus decedit. Sed voluptas longe dulcissimum peccatum est. Vini color omnibus arridet, est præclarum Dei donum, quis eo non delectetur? Amor mutuus diversi sexus hominum naturæ implantatus est, quis hunc mutare valet? Si voluptas pretiosissimis vestibus meis vel gemmis inhæreret, tum eam excinderem vel evellerem. Jam vero ipsi carni & sanguini meo insidet. *Avari* eadem ratio est, is abunde habet, quod

vo-

voluptati & *ambitioni* objiciat, & quibus *flagrantem cupiditatem* ſuam exculet, eamque pro natura ſua venditet, ideoque ejus emendationem tanquam non neceſſariam vel impoſſibilem intermittat.

6. Ita vero *omnis emendatio*, i. e. vitatio vitiorum, & virtutis ſtudium *fruſtranea* ſunt. Homo enim tunc perpetuo agit ſecundum vitioſum affectum ſuum dominantem, nihilque agit, niſi ut occaſionem vitet, qua affectus vitioſus alias inferior irritari queat, vel ut occaſione ad hujusmodi vitia ipſi oblata, mature ab illis erumpat, vel illa per paſſionem ſuam dominantem oppugnet, quo ipſo *paſſio dominans inſigniter alitur*, adeoque homo miſeriæ ſuæ magis magisque immergitur, dum vitium non ſupprimit nec amorem rationalem extollit, cum paſſio dominans eum æque ut antea opprimat.

7. Ac *Paſſio* quidem *dominans* utique *ad naturam* hominis pertinet, quoniam ex eſſentia ſpiritus & ſanguinis ejus, item ex ſtructura corporis ejus conſiſtit. Sed conſiderandum etiam homini eſt, quod *inde à juventute* cunctis actionibus ſuis *hanc paſſionem ſuam quotidie confirmaverit*, adeoque *conſuetudini* tantum, ſi non plus, quantum ejus *naturæ*, debeatur, & proinde *omiſſione* actionum conſuetarum, & *aſſuefactione* diverſarum & præteritis plane contrariarum actionum, hanc paſſionem dominantem prorſus extinguere, certe inſigniter ſupprimere queat.

8. Cum ergo passio dominans, partim uti jam diximus sub nomine naturæ vel boni coram nobis se abscondere soleat, partim, si cum sequenti vel reliquis duabus insigniter permixta est, in aliis etiam hominibus, ne dicam in nobis ipsis, difficulter cognosci possit; ante omnia homini, qui ab amore irrationali se liberare cupit, *elaborandum est, ut hanc passionem dominantem in seipso bene accurateque inquirat*, ne ipsi elabatur, quisque enim apud seipsum deprehendet, *facillimum* quidem esse, *aliorum* passiones dominantes cognoscere, præsertim cum illæ reliquis affectibus valde superiores sunt, contra vero *difficillimum*, *propriam*, passionem dominantem cognoscere. Quotidie enim cernimus, strenuos helluones, item ambitiosos ac avaros de aliis sui similibus prudenter quidem judicare posse, quemadmodum illi ab affectibus suis in propriam & aliorum perniciem regantur; sed quando de ipsis agitur, fere cœci sunt, quia sæpe idem agentes alios judicent.

9. Et quoniam hæc *Occoecatio* per Affectum dominantem generi humano, etiam in hoc casu, ubi is alioqui coram oculis aliorum detectus est, accidere solet, facile cogitari potest, affectu dominante cum sequenti & tertio *valide permixto*, quod coram nobis magis sese occultare & nos occoecare studebit. Nam cum tam idoneus sit, ut eorum oculis multorum hominum, quotidie nos observantium, artibus suis & mixtura cum reliquis duobus af-

affectibus sese occultare possit, ut admodum difficile sit, eum investigare, uti supra (c) annotavimus, quando magis *coram nobis ipsis* sese occultabit? *Cordis* enim cognoscendi longe alia ratio est, cognoscendarum *cogitationem nostrarum in cerebro*. Has enim melius omnino novimus quam alii homines, vel aliorum cogitationes, & hoc intuitu Principium Cartesii, Cogito, ergo sum, si non pro primo principio, seu pro primo cognito, tamen procertissimo cognito haberi potest. Sed inclinationes cordis nostri tancius quam alii cognoscimus, nec tam difficile est, etsi difficillimum sit, aliorum affectus intelligere, quam proprius, eorumque qualitates, & illud: Cogito taliter, ergo sum talis, difficillimum est axioma seu conclusio, ad quod per discendum totum vitæ nostræ tempus non sufficit.

10. Et uti inprimis *sincera seriaque intentio requiritur*, ut nosipsos cognoscamus nec quicquam coram nobis celemus; ita postmodum accurata attentione opus est ad fraudes cordis nostri inquirendas, & ad passionem dominantem e latibulo & sub larva virtutis apparentis protrahendam. Ita vero proderit, ut quæ *supra toto capite duodecimo, item in novem prioribus §§. is capitis decimitertii* de cognitione aliorum hominum, & de distinctis distinctarum mixturarum qualitatibus, late tradidimus, bene prius & perspicue intellecta,

(c) Cap. 12. §. 43. 44.

ad nosipsos applicemus, in eisque tanquam in speculo nos contemplemur.

11. Ac si omnino hac contemplatione affectus dominantes nondum satis perspicue certeque perspici queant, non erit inutile, adhuc alia *compendia* adhibere. In conjugio oportebat esse exquisitissimam imaginem, & clarissimum exemplum amorts rationalis: Nihilominus illud fere in universum imaginem præbet *trium vitiorum primariorum*. Fere enim, quod dolendum est, matrimonia vel ob extinguendam *libidinem*, vel dignitatis & *promotionis* causa, vel *pecuniæ* respectu ineuntur, & propterea iis *uti quoque possumus loco examinis, ad animum nostrum, explorandum*. Expendat ergo aliquis e. c. ac seipsum examinet, quid agere vellet, si matrimonio sese applicaturus esset, & optio ipsi daretur unam ex tribus fœminis eligendi, quarum prima *formosissima* simul vero pauperima & status abjectissimi foret; secunda *nobilitate & dignitate* emineret, nec formosa tamen; minimeque dives tertia *opulentissima*, maxime tamen deformis & de infimo statu esset. Posito igitur, ut harum trium una necessario ipsi ducenda esset, & duarum tantum horarum deliberandi spatium ei concederetur; Utatur isto spatio, & de re ista accurate & mature deliberet, si hic eidem casus offeratur, quam ex tribus hisce electurus esset. Et capta demum resolutione facile videbit, an voluptuosa pulcritudo, an

an ambitiosa nobilitas, an vero avaritia apud se prædominet.

12. Cautio tamen hîc adhibenda est, primum ut in *formantis exemplis* circa omnes tres illas personas debita proportio observetur, nimirum cum prima valde dives, altera valde nobilis, tertia valde formosa esse dicitur, ut pulcritudo, nobilitas & divitiæ in æquali proportione ſsive perfectione repræsententur, item, ut similiter circa defectum reliquotum bonorum æquabilis servetur proportio, & ut e. g. una sit æque deformis, ac altera ignobilis est, & tertia egena. Nam si hoc non attendatur, e c. voluptuosus facile se decipiet, nec existimabit voluptatem apud se esse affectum dominantem quia nobilem vel divitem in uxorem elegit, cum in his defectum pulcritudinis sibi impressit, qui tamen pro deformitate non admodum haberi potest; sed pro tali forma, quæ si non ad pulcritudinem, tamen ad elegantiam referri meretur, quod discrimen Galli in lingua sua accuratius exprimere norunt, dum distinguunt entre une fille belle & joliè.

13. Cum vero ut *hæc propertio debite observetur*, *ingeniosum & operosum* sit, & facile hic hallucinari queamus; necesse est ut homo sibi *plara ejusmodi exempla proponat*, & e. c. sese exploret, quid facturus esset, si vel *formosam* mulierem, quam amaret abdicare, vel *gratia*

Principis excidere, vel *opulentam hæreditatem*, quam expectaret, amittere cogeretur, quodnam ex tribus hisce damnis maxime æquo animo laturus esset. Possumus etiam ex bonis illis quæ iam possidemus, ex singulis tribus classibus aliqua quæ impense amamus, nobis proponere, & cor nostrum explorare, ex cuius rei detrimento maximum dolorem & repugnantiam sensuri simus. Quod si hoc facto animadvertimus, in pluribus his exemplis decisionem non semper in eundem affectum cadere hoc nobis signum erit, nos in formandis his exemplis non semper debitam proportionē observasse, vel alio modo judicium præcipitasse. Sin vero dicisio semper in eundem affectum cadat, facilius spem concipere poterimus, nos affectum dominantem inveniſſe.

14. Negare tamen non possum, *plerumque* in repræsentatione *hujusmodi exemplorum*, affectum dominantem, ideo maxime, quia id eâ facimus intentione, ut eundem detegamus, sed corde tamen ei adhæremus, vel nos *seducturum esse*, ut in proponendis exemplis modo requisitam proportionem non accurate observemus, vel saltem, ut in ipsa decisione, quia res tantum ficta est, eam ita non decidamus, sicut facturi essemus, si ea nos reipsa attingeret, vel si hæc exempla nobis proponerentur, cum cognitionem nostri non intenderemus. Quapropter postremo loco reliquum est, ut affectum nostrum dominantem

eo

eo tempore investigemus, cum is parum cautus est, nec putat, nos eum observare, id vero sequenti modo fieri potest.

15. *Quilibet homo gaudet adesse rei quam impense amat.* Voluptuosus compotatoribus, vel amasiæ suæ, ambitiosus aulæ, avarus loculo suo. Ac etsi vel maxime *corpore* hisce rebus præsens non adsit, ad est tamen *cogitationibus*, quæ tam firmiter rei amatæ infixæ sunt ut anima nostra in eam quasi transformetur, & sicut vir quidam pius & eruditus inter alia exempli loco allegat, anima Algebraistæ in characteres sequentes x † a--b. convertantur. Deinde nemo est, qui si non sæpius, interdum tamen, *animi causa speculationibus propriis se mirifice oblectet*, & sic dictas arces Hispanicas seu palatia in aëre ædificet, vanisque his conceptibus sive ideis multum pretiosi temporis consumat. Hæc cupido, quam absque ullo laboris vel pecuniæ impendio explere possumus, firmissime nobis inhæret, ut facillime in eam prolabamur, & instar hominis aliis cogitationibus occupati aliud agentis, in necessariis etiam meditationibus nostris, per errorem eo abripiamur. Proinde si quis passionem suam dominantem cognoscere velit, is tantum consideret, ad quam classem objecta illa pertineant, quæ eum ad vanas illas ideas seducunt, an in illis *voluptas*, an vero *ambitio* an *avaritiæ*, an duo affectus mixtim denique omnes tres affectus simul potiores sibi partes vendicent.

16. Deinde ubi passionem suam dominantem *invenit*, boni ordinis ratio postulat, ut priusquam eam adoriatur, seipsum in tuto collocet, ad *profligandā præjudicia*, quibus seductus est ad affectum suum dominantem alendum, quemadmodum ægrotus circa cibum & potum cautionem adhibet, ne morbus inde augeatur. Proinde bene expendet ea quæ in parte priori Ethices de natura veri boni & mali, (d) item in posteriori parte de duobus præjudiciis voluntatis (e) dicta sunt, & actiones suas examinabit, quemadmodum hactenus per *præjudicia Imitationis* & *Impatientiæ* se quotidiè passus fuerit seduci, ut stolide ageret, & ad vitandam ulteriorem continuationem, utiles quasdam meditationes serio & frequenter adhibeat.

17. Præjudicium *Imitationis* plerosque homines incitat, ut vitiis suis profundius sese immergant, quia vident, hos quos amant, & a quorum autoritate pendent, pravam eorum inclinationem hoc ipso alere, quod communis est opinio, *virtutem esse amaram, ignominiosam & infructuosam*, ex adverso *in affluentia opum, dignitatum & usu voluptatis veram delectationem contineri.* Ergo homini affectus suos supprimere cupienti ex doctrina hactenus abunde demonstrata quotidie considerandum est, veram *virtutem* nihil aliud esse quam amorem, nihil esse *jucundius* quam amorem omnium hominum, cum ejus na-

(d) cap. 1. (e) cap. 1. n. 41. seq.

natura in perpetua pace interna & tranquillitate consistat, in cujus perceptione externa inquietudo parum molestiæ nobis creare valet, & virtutis amaritudinem nudam esse imaginationem, ex stulto amore & consuetudine vitiotum prognatum; Considerandum ipsi est, præter *virtutem* nullum dari posse verum *honoris* fundamentum, ejusque contemptum eorumque qui virtutem sectantur, a solis flagitiosis & vitiosis & ominibus dependere, qui si virtuosos magnifacerent, molestiam potius quam honorem illis exhiberent, quantumvis coram mundo autoritate, potentia, opibusque quam maxime abundarent; *Virtutem* esse rem omnium *utilissimam*, quia nos docet paucissimis rebus esse contentos, aptosque reddit ad aliis honeste inserviendum.

18. Porro sibi bene & qootidie imprimat, quod ex definitione voluptatis, ambitionis & avaritiæ necessario sequatur, *impossibile esse, ut voluptuosus, ambitiosus ac avarus ullam veram delectationem sentiat*, sed hominem his vitiis deditum cupiditatibus suis delectationem suam quotidie perdere, dum per easdem diversa ratione se inidoneum reddit ad corporis sui *sanitatem* conservandam, ad vere *bonam famam* acquirendam, & ad libertatem tranquillitatis animi obtinendam, sed eum fieri mancipium affectuum suorum, misere eum hinc inde rapientium, abominationem omnium virtuosorum, & hominem miserum & valetudinarium, imo

ipsum

ipsum in statu fruitionis voluptatis suæ, honoris & divitiarum, plenum esse miseriæ, inquietudinis atque molestiæ, etsi hanc miseriam suam præ stulto amore erga cupiditates suas ipse non sentiat, imo pro medio habeat majore voluptate fruendi stolido hoc principio nixus: Variationem veram delectationem parere.

19. Præjudicium *Impatientiæ* similiter homini magno impedimento est in emendatione sua. Is in corrupto statu suo assvefactus est, ut nihil jucundum putet, nisi quod valde sit sensibile. Ipsa quoque hæc impatientia eum se emendaturum seducet. Sive enim emendationem suam *simul & semel*, & *unius diei spatio* instituet, sive *remissior* fiet, tædiumque sentiet, si non illico sensibilem & insignem in se emendationem deprehendet. Utrumque irrationaliter fit, ergo hanc a ratione aberrationem quotidie bene expendat. Ægrotus qui morbum per aliquot annos gradatim contraxit, non potest eum uno die depellere, & quanto gravius decumbit, eo cautius morbum tractare debet. Omne bonum, sicut initio ostenoimus in lento motu fundatur. In vitiis non uno die habitus acquiritur, sed hoc fit per diversos gradus, id magis adhuc contingit in virtute. Homo miseriam suam agnoscens, qui uno impetu sibi proponit omnem voluptatem, ambitionem & avaritiam abdicare, qui hac intentione se parietibus includit, vel in sylvam se recipit, similis est ægroto periculose decumben-

bendi, qui morbum agnoscens & convalescere cupiens statim è lecto prosilit, vestimenta induit, & ad consuetum laborem se accingit. Nimirum utriusque conditio hoc ipso redditur deterior. Sat cito, si sat bene. Repentina & naturalibus mediis procurata mutatio morum est hypocrisis & simulatio, qualis est puerorum, qui ut fletum supprimant, risum violenter affectant. Non intermittendum ideo est bonum, quia in principio cum difficultate & labore est conjunctum. Difficilia non statim sunt impossibilia. Et si progrediendo in rebus difficilibus nihil aliud lucramur, tamen nos in patientia exercemus, & ejus aliquid consequimur. Patientia vero est præcipua virtus amoris rationalis, & fortasse nihil aliud quam ipsa animi tranquillitas. &c.

20. Deinde rationale est, ut homo *passionem* suam *dominantem ipse adoriatur*, & scintillam amoris sui rationalis *accendere* allaboret, sicut homo prudens ægrotus talibus utitur medicamentis, quæ morbum infringunt, & naturam confortant. Atque hoc est, quod veteres Philosophi, Stoici præsertim, regulas vitæ virtuosæ duobus verbis incluserunt: Sustine & abstine. Vitium passionis dominantis *debilitatur*, cum ambobus præjudiciis voluntatis quotidie illud nutrientibus, *alimentum subducitur*. Nutrimentum præjudicii *Imitationis* sunt *mala Exempla*, nutrimentum vero præjudicii *Impatientia* est *Occasio*, sive ejus

jus rei præsentia quæ cupiditatem irritat. Inde nata sunt proverbia: Mala exempla corrumpunt bonas mores: item, Occasio facit fures. Ergo ſe ſucceſſive *conſortio* hominum pari vitio deditorum, & quibuſcum hactenus converſatus eſt, ſubducet, eosque vitabit. Simul etiam pro diverſitate paſſionis dominantis a *cibo potuque delicato, ſexu fœmineo, a laude humana. & à negotiis, ubi honoris aut pecuniæ lucrandæ* locus ampliſſimus eſt, abſtinebit.

21. *Amor rationalis* per media oppoſita *elevandus eſt*, *Bona Exempla* ad bonos mores incitamenta ſunt, & *Exercitatio* facit magiſtrum. Rationale ergo eſt, ut homo ſeſe emendaturus *eorum hominum converſationem* quærat, qui vitio, quod in eum dominatur, non ſunt dediti, item ut *occaſionem* quærat aliquid tractandi quo *laborem* ſucceſſive aſſueſcat, homines per amorem, absque magni *honoris* ac *imperii* arrogatione, ſibi devinciat, & *pauperibus atque egenis*, qui ipſi hoc rependere nequeunt, inſerviat.

22. Uti autem ægrotus ſumpto medicamento non ſemper in lectulo decumbit, ſed ſucceſſive tentat, an e lecto ſurgere, auram frigitam perferre, & conſuetum ſanorum hominum laborem perficere, queat: Uti tyro in arte pugillatoria non ſemper præcepta artis accipit, ſed interdum tentat, an præcepta illa ad defenſionem ſuam uſurpare poſſit: Ita neceſſe eſt ut homo affectus ſuos ſuppreſſurus

rus incipiat *experimentum facere, an in supprimendis affectibus progressus fecerit*, nec ne, & *quatenus idoneus sit ad defensionem suam contra irritamenta pravorum exemplorum & similium rerum quæ cum affectu eius aliquam conformitatem habent*; Hic tamen inprimis interiora suà *accurate examinare debet*, ne ipse se præmaturo egressu atque audacia periculo exponat. Sicut ægrotus se examinat, an tanta utatur interna valetudine, ut confidat se e lecto surgere posse, & tyro in arte pugillatoria stulte ageret, si post octiduanum usum præceptorum contra (quod aiunt) pugnare, & cum robustissimo in palæstra colluctari velit. Ita homo sese emendaturus accurate se examinare debet, an vitatio pravæ conversationis & rerum ante hac jucundarum sibi adhuc sit difficilis, an vero earum defectum facile ferat; An sibi praxis eorum, quæ affectui eius dominanti sunt contraria, molesta sit, & conversationem cum virtuosis abhorreat; An vero apud se incipiat inclinationem aliquam ad hæc sentire.

23. Iam occasionem nactus vires suas examinandi, quousque in malo decreverit, in bono vero progressus sit, completa actione & missa conversatione bene accurateque se examinabit, quis eius tentaminis fuerit eventus, an superior, vel inferior fuerit? An contra irritamenta exemplorum, & rerum affectui ejus jucundarum bene se defenderit, an vero

ea ipsi prævaluerint. An cor eius gradum illum tranquillitatis ante hanc occasionem perceptum adhuc possideat, an vero in novam inquietudinem rursus detrusum sit? Atque hic exemplum & præcepta Philosophorum quorundam sequatur, & quotidie antequam cubitum eat vel obdormiscat, acta totius diei hoc modo recolat.

24. Ergo si deprehendit *quod strenue se defenderit, & tentationem feliciter superaverit*, hæc defensio ipsi vel *facilis* fuit, vel *laboriosa*. In *priori casu*, ideo non statim desinet cupiditatem suam per regulas supra traditas porro coërcere, & amorem rationalem confirmare sed potius in hoc labore perget, & deinceps fortiora irritamenta aggredi tentabit, sicut is qui contra pugnare incipit, & bene se gerit, non statim desistit præcepta ulterius sumere, sed in his porro continuat, simul autem in sic dicta pugna contraria sese exercet, & interdum succesive cum fortioribus colluctatur. Sin defensio ipsi fuit *operosa*, adhuc magis opus habebit irratationes affectus sui vitare, & praxin operationem virtuosarum affectui eius contrariarum usurpare, vel tentare, num cum rebus affectus eius minus irritantibus res ipsi melius succedat: Sicut forte homo cui operosum fuit, contra eum, cum quo prima vice colluctatus est, se defendere, deligentius discendis præceptis incumbit, & cum alio quodam debiliori colluctatur, vel

vel sicut ægrotus, qui in auram frigidam recenter se recepit, eiusque mutationis successum minus felicem expertus est, lectulo rursus se parum affigit, vel pharmacorum usum continuat, & aliquando tentat, quali fruatur valetudine, si extra lectum in conclavi occluso versetur.

25. Sin autem deprehendit, quod in hoc tentamine *succubuerit, & a prava conversatione, vel re affectui eius grata abreptus fuerit*, in eoque negotio *diu*, certe diutius, quam alias consueverat restiterit, idem ipsi est observandum, quod jam jam de eo diximus, qui operose tentationem superavit. Quod si vero *facile* victus fuit ita ut nullas fere apud se vires invenerit, resistendi, bene seipsum observare debet, ut hujusmodi occasionem adhuc aliquantisper vitet & se potius in præceptis a nobis ipsi traditis exerceat. Ubi ægrotus, præmature egressus & pene recidiuam passus; eo cautius domi se se continet, & medicina sibi præscripta majore cum attentione utitur. vel sicut scholaris, qui in prima colluctatione nil præter verbera reportavit, seriam colluctationem per mensem forte prorsus intermittit, & præceptis artis addiscendis diligentius occupatur. Sin autem sentit, optime se potuisse resistere, si cautius modo res suas gessisset, vel quod non tam irritatione conversationis vel rei jucundæ, quam *per propriam imprudentiam* atque præcipitantiam vel impatientiam succubuerit,

deprehendet, vitium in eo hærere, quod nondum debito studio meditationibus supra 17. 18. & 19. §§. ipsi quasi diætæ loco traditis operam dederit, ac inde imposterum in iisdem se diligentius exercebit.

26. Iam non erit difficile regulas hasce generales ad *singulas passiones dominantes in specie applicare.* Et uti hoc uniuscujusque ulteriori deductioni, prout se ipse comparatum deprehendit, merito relinquitur, ita brevem tantum huius rei qualemcunque manuductionem præbebimus. *Voluptuoso* opus est ut 1. ingentem illam vanitatem delectationis e cibo & potu, vel ex conversatione cum sexu fœmineo hilarique sodalitio genitæ, expendat, quodque multa hic magis in stulta imaginatione, propriisque cogitationibus, quam in re ipsa consistant. 2. Bene considerabit, quod secundum regulas fundamentales doctrinæ moralis in vita sobria & casta delectatio longe verior & major, minus quidem illa sensibilis, sed multo durabilior consistat. 3. Debite inquirat, quantis vita intemperata ac voluptuosa molestiis sit obnoxia, in ipsa etiam perceptione ac fruitione voluptatis. 4. Porro mature cogitabit, quanto majores molestiæ & infinita mala vitam voluptuosam, tanquam fructus, sequantur. 5. Deinde sibi proponat, se vitare velle non tantum consortium hominum voluptuosorum ac vinolentorum, mulierumque libidinosarum atque impu-

pudicarum, sed etiam convivia honestasque compotationes, item omnem cibum ac potum delicatum, nec minus conversationem cum honestis etiam mulieribus, præsertim elegantibus ac formosis. 6. Conversationem potius cum maribus castis & temperantibus studiose quærat: Exerceat se in modico vel nullo usu cibi & potus delicati, in vitanda desidia, in assuefaciendo tam corpore quam animo paullatim ad moderatum laborem, donec confidat se irritationi voluptuosæ conversationis, vel cibi delicati & formosarum mulierum posse resistere.

27. Si *Ambitio* est passio dominans, homini 1. bene consideranda est vanitas gloriæ à mundo sic appellatæ, & quam parum ea contineat realitatis veræque delectationis. 2. Expendet, quod in statu medio vel infimo plus detur libertatis, & minus inquietudinis, & quod homo in quocunque statu satis habeat occasionis virtutem suam erga alios exercendi, in quo fundamentum veræ gloriæ continetur. 3. Quod in vita ambitiosa nihil sit nisi realis molestia & extrema inquietudo, & quo major est honor, eo major etiam fiat molestia, ita ut e. g. maximus in aula honor cum summa, nec servituti absimili miseria conjunctus sit. 4. Denique ambitioso plus molestiæ imo extremam contumeliam, tanquam fructus ambitionis suæ expectandam esse. 5. Non tantum conuersationem ambitiosorum, verum etiam magnas ac

glorioſas actiones vitabit, atque occaſioni ad easdem v. g. vitæ aulicæ ſe magis magisque ſubducet. 6. Amicos quæret, honori externo non adhærentes, ſed humanos ac patientes, & ſe exercebit, ut potius ſibi æqualibus vel inferioribus, & à quibus ipſi promotio vel gloria nulla expectanda eſt, quam honoratis ac potentibus inſerviat, &c.

28. *Avarus* denique conſiderabit 1. Quam vana ac miſera delectatio in poſſeſſione opum & facultatum multarum contineatur: Et quod homo pauciſſimis opibus indigeat, ad vitam jucunde tranſigendam, item quod voluptas ex pecunia ipſa pendens, valde irrationalis ſit. 2. In ſtatu, ubi parum pecuniæ poſſidetur, longe plus eſſe delectationis, & minus curarum ac ſollicitudinis. 3. Vitam eorum, qui diteſcere cupiunt, curarum, laboris ac ſollicitudinis plenam eſſe. 4. Denique avaritiam adhuc majorem inquietudinem, & ſervitutem, imo opprobrium ac contumeliam ſequi. 5. Converſationem avarorum & negotia ex quibus magnum lucrum eſt expectandum, vitabit. 6. Liberalium potius nec obnoxiorum hominum conſortium exquiret, eaque negotia tractabit, quibus parum mercedis tribuitur, & ſe in liberalitate exercebit, & ut ejusmodi præſtet officia, ex quibus compenſatio nulla ipſi eſt expectanda.

29. Videbuntur quidem *paucæ* hæ *regulæ* multis fortaſſe *nimis viles ac ſimplices*. Acipſe fa-

fateri cogor, si considero quid alii cum veteres tum recentiores Philosophi de emendatione affectuum scripserunt, hunc laborem meum cum illorum labore collatum, nimis mihi simplicem videri. Sed hoc ipso id *praestat: nam omnis veritas naturaliter est simplex*, & quò magis aliquid est operosum & intricatum, eò utplurimum illud est deterius. Præstans Mithridatum in vili theca utilius est dulcissima confectione aromatica in vase ornatissimo & versicoloribus ac affabre efformatis chartis obducto recondita. Si quis *sincere* sibi emendationem suam *proposuit*, paucula hæc ipsi sufficient, & dubium non est, quin omnia, quæ alii ex sana ratione attulerunt, & paucas has regulas reducere queat. Sin hoc *propositum non habet*, doctrinæ prolixissimæ ac pulcherrimis exemplis sententiisque exornatæ *parum aut nihil* ipsi proderunt. Nam *propositum* sese emendandi, atque *attentionem* in veritate indaganda nec ego nec alius quisquam ei dare possumus, sed ut hæc ipse afferat, necessum est.

30. Hoc tamen *propositum*, & hæc *attentio nulli ætati alligata sunt*. Commiseratione dignum est dictum Aristotelis: *Adolescentem non esse idoneum auditorem Ethices;* Ubi ejus sectatores adolescentibus communiter sub initium collegiorum hoc inculcant; tamen hi tanta constantia ac æstimatione collegia eorum frequentant, adeo ut nesciam docentiumne an discentium major sit stultitia. Si juvenes sunt

cerei & facile ad vitia seducendi, cerei etiam sunt, qui ad virtutem instituantur. Tametsi sint inconstantes, non sunt tamen obdurati, & pravæ eorum cupiditates nondum tam firmas radices egerunt. Si *ætas virilis* per se aliquid ad vitam virtuosam conferret, *Ethica nec ab adolescentibus* discenda esset, cum secundum mentem eorum ad eam essent inidonei, *nec a viris*, cum ipsa eorum ætas bonos mores eos doceret, dummodo prius in juventute, ut loquuntur, recte deferbuerint. Sed si homo *in juventute non fit moratus multo difficilius id fiet in senectute.* Quanto citius aliquis initium facit stultitiam suam considerandi, & boni assuescendi, tanto citius atque facilius negotium hoc procedet. *Puer* sexennis vel septennis *bene educatus* hos qui in vitiis consenuerunt pudefacere potest: In *juventute*, vel in *senectute juvenum* maturanda est seria de emendatione sui cogitatio. Quicunque ante *trigesimum* annum affectus suos non supprimit, deinceps difficillime aliquid fructuosi efficiet. Et quicunque id ante annum *quadragesimum* non præstat, in eo fere omnis spes rationalis perdita est.

CA-

CAPUT XV.

DE INSUFFICIENTIA ARTIS RATIONALIS, AFFECTUS SUPPRIMENDI, ET QVOUSQVE EA USUM ALIQVEM PRÆSTET.

SUMMARIUM.

Lutheri ſententia de Impotentia liberi arbitrii. n. 1. Num hic Lutherus a reliquis Reformatoribus valde diſcrepet? n. 2. In Evangelicis etiam Academiis hodie doctrina de viribus liberi arbitii in doctrina morali corrupta eſt. n. 3. Id quod partim ex excerptis doctrinæ Carteſii è libro ejus de paſſionibus animi, n. 4. partim ex communibus doctrinis Philoſophiæ Ariſtotelicæ illuſtratur. Inſufficientia diſtinctionis inter virtutes Philoſophicas & ſpirituales. n. 5. Potentia naturalis inſufficiens eſt ad ſummum hominis bonum. Nec prætermittendæ ſunt tamen homini prorſus regulæ capitis præcedentis n. 6. Difficile homini eſt, imo fere impoſſibile ſeipſum cognoſcere, & paſſionem ſuam dominantem inveſtigare, quia propoſitum requiſitum, debitamque attentionem ipſe ſibi dare non poteſt, & concupiſcentia dominans intellectum eius occœcat. n. 7. Difficultas, regulas contra præjudicia Imitationis & Præcipitantiæ, ad ſeipſum & ad paſſionem ſuam dominantem applicandi. n. 8. Difficultas, regula de eligenda virtuoſorum hominum converſatione recte utendi. n. 9. Item altera regula de praxi actionum virtuoſarum. n. 10. Homo occaſionem, qua paſſio eius dominans irritatur, pro lubitu vitare nequit, nec in externis exercitationibus longius progredi poteſt, quam ut

pasſionem dominantem ſuſcitatione affectus proximi ſupprimat. n. 11. Et ita nil amplius ageret, quam ut ex uno vitio in alterum prolaberetur, vel hypocriſin & virtutem fucatam ſibi acquireret. n. 12. Etſi ne hoc quidem ſperandum eſſet n. 13. Hac ratione vero homo ſemper ineptus erit, ad pugnandum cum cupiditatibus ſuis. Error Carteſii & communis doctrinæ de libertate arbitrii. n. 14. Demonſtratio Inſufficientiæ regularum Philoſophicarum, quantum in ſpecie Voluptatem, n. 15. Ambitionem, n. 16. & Avaritiam concernit, n. 17. Non contemnendæ ſunt tamen prorſus hæ regulæ, ac negligendæ, n. 18. Sed iis, quoad poſſumus, utendum. n. 19. Ut vitetur peſtilens opinio, quaſi homo omnia mala ex inevitabili neceſſitate agat, qua omnes imputationes ac pœnæ everſuntur. n. 20. Nemo unquam laudem meretur, etſi boni aliquid agat, contra communem errorem eruditorum in omnibus facultatibus. n. 21. Præcepta Ethices noſtræ hominem ad veram Theologiam, per repreſentationem naturalis impotentiæ ſeſe emendandi, deducunt. n. 22. In gratiam juniorum traduntur. n. 23. Non tamen infantum, ſed adultorum, tam decipientium quam deceptorum ſcripta ſunt. n. 24.

I.

PLerique *Philoſophi*, qui Ethicam in Academiis explicare ſolent, in eo *hallucinati ſunt*, ut omnes quidem multa de virtute garrierint, quodque ea ſit perſequenda, vitia vero vitanda, docuerint, ſed eorum perpauci *media* ad virtutem conſequendam docuerint. Hic tamen nævus mihi non videtur tam periculoſus, quam iſte, qui *circa virtutem ac poteſtatem media uſurpandi* fere univerſaliter commit-

mittitur. Causa potissima separationis Euangelicorum a Catholicis erat diversa doctrina *de viribus liberi arbitri ad vitam virtuosam consequendam*, Catholicis viribus humanis fere omnia adscribentibus, contra Euangelicis utriusvis religionis gratiæ divinæ & virtuti fidei originem bonorum operum in homine tribuentibus. Notus hîc est Lutheri præclarissimus liber de servo arbitrio contra doctissimum & eloquentissimum Erasmum scriptus. In hoc libro inter alia ita scribit: (a) Interroga ex-„ perientiam, quam sint imperfuasibiles qui af-„ fecti aliqua re hærent, Aut si cedunt, vi vel„ majore alterius rei commodo cedunt, nun-„ quam libere cedunt. Si autem affecti non sunt„ sinunt ire & fieri, quæcunque eunt ac fiunt.„ Et porro (b) si ex omnibus assertoribus liberi„ arbitrii ostendere poteritis unum, qui tantil-„ lum robur animi vel affectus habuerit, ut in„ nomine & virtute liberi arbitrii unum obulum„ contemnere, uno bolo carere, unum verbum„ vel signum injuriæ ferre potuerit (nam de„ contemptu opum, vitæ, famæ nihil dicam)„ iterum palmam habete, & sub hastam libenter„ ibimus, Atque idipsum vos, qui tanta bucca„ verborum vim liberi arbitrii jactatis, nobis ex-„ hibere debetis, aut iterum de lana caprina vi-„ debimini statuere, aut, ut ille, in vacuo thea-„ tro

a) p. m. 68. Edit. Schmidianæ in 8tav. 1664. T. 2. Wit. Lat. fol. 468. a.

b) p. 82. 83. T. 2. W. Lat. fol. 470. b.

tro ludos spectare. Et iterum: (c) Non sa-„ tis est dicere, Est vis, est vis, est vis quædam„ liberi arbitrii, quid enim dictu facilius? Nec„ hoc est virorum eruditissimorum & sanctissi-„ morum, tot seculis approbatorum, sed nomi-„ nandus est infans (ut ajunt Germanico pro„ verbio) definiendum, quæ sit illa vis, quid fa-„ ciat, quid patiatur, quid accidat. Exempli„ causa, crassissime enim dicam, hoc quæritur„ an illa vis, vel orare, vel jejunare, vel laborare„ vel corpus fatigare, vel eleemosynam dare„ vel aliud hujusmodi debeat vel conetur. Si„ enim vis est, aliquid operis molietur. Sed hic„ estis vanis Scriphiis & piscibus magis muti. „

2. Mea hæc est sententia, in hac materia primos Reformatores quibus Deus in Helvetia & in aliis regionibus usus est, eorumque successores qui hodie alteram partem inter Evangelicos constituunt, cum Luthero nostro maximam partem concordare, licet D. Sebastianus Schmidius in observationibus suis dicto Lutheri libro adjectis ex professo, ut ajunt, sibi proposuerit, ostendere, Lutherum ab ipsis dissentire. Ego vero uti Theologis utriusque sectæ decisionem hujus rei inter se relinquo, quatenus hic se conjungere, vel mutuo controvertere velint: ita si a me, tanquam simplici Laico, sententia mea circa quæstionem facti & historica, quid Lutherus statuerit, & quomodo Dominus D. Schmidius secundum regulas Philosophiæ Luthe-

c) pag. 84.

theri librum interpretatus sit, posceretur; talem responsionem darem, ita mihi rem videri comparatam, nimirum vel Reformatorum sententiam durius explicari, & dissensum ab illis facile tolli posse, modo secundum charitatem cautio illa in eorum scriptis interpretandis observaretur, ac distinctiones illæ quibus duriora Lutheri loca moderari conantur, ad Reformatorum etiam quorundam phrases duriusculus applicarentur: Vel in Ecclesia nostra hodie multis in locis hic a Lutheri sententia discessum, esse, ac frustra laborari, anxie conquisitis distinctionibus dissensum istum palliare, & Lutherum in illam partem violenter pertrahere, ita ut Lector neutri parti obnoxius, modo Logicam didicerit, & regulas interpretandi bene calleat, facillime hanc insufficientiam ac torturam comprehendere queat.

3. Ne quis autem existimet, me hoc ipso Reformatorum sectæ præ cæteris velle blandiri, credo liquido demonstrari posse, in *Academiis Evangelicis utriusque Religionis communiter* (& absque consideratione eorum quæ forte unus & alter veritatis amans de utraque parte de hac corruptela jamjam annotavit) *in doctrina morali hujusmodi principia* studiosis inculcari, per quæ in animis eorum *Papatus si non crassus, certe subtilis de sufficientia virium naturalium ad vitam virtuosam consequendam* firmas radices agat, quæ naturalis ac ingeniosa superbia sciolorum deinceps ad nullum alium usum transfert, quam

ut

quam ut se & dogmata sua multis artificiosis explicationibus palliare;contra vero alios hæreseos incusare & condemnare quærat. Inde fit ut longe quidem lateque contra Spinocismum, Stoicismum & Pelagianismum scribant & disputent,& minutissima quæque in aliorum opinionibus exaggerent, trabem vero in proprio oculo non animadvertant.

4. Jam ut quisque clare intelligat, quod doctrinis Academicis nullam faciam injuriam, thesin meam sequenti ratione demonstro : In Academiis *doctrinæ moralis* tractatur vel methodo *Cartesianæ*, vel *Aristotelica*. Vbi Cartesius regnat, ibi liber ejus de passionibus animi in magno pretio habetur, & præcepta secundum eius ductum instituuntur. Cartesius vero sequentia docet: Primum inquirit (d) ratio„ nem specialem, quo minus animo possit cito„ mutare vel sistere suas Passiones, ac fatetur;„ posse se cohibere ad superandos parvos mo-„ tus, sed non posse pari ratione se cohibere ab„ iis, quos comitatur aliqua fortis commotio„ quæ fit in corde, & per consequens etiam in„ toto sangvine & spiritibus, donec cesset hæc„ commotio. Addit tamen, id quod voluntas„ ad summum facere possit, dum viget hæc„ commotio, esse non consentire illius effecti-„ bus, & cohibere plurimos ex motibus ad quos„ disponit corpus: Exempli gratia; si ira effici-„ at, ut manus erigatur ad percutiendum, vo-„ lun-

d) De Pass. Part. 1. Artic. 45. & 46.

luntatem ordinario eam continere posse: si „ metus incitet crura ad fugam capessendam, „ voluntatem illa sistere posse, & sic de aliis. „ Alibi (e) ait: Omnes tumultus, qui aliun- „ de veniunt, nullam vim habere nocendi „ animæ nostræ, modo satis semper habeat „ apud se unde contenta sit, sed potius au- „ gere eius lætitiam, eo quod observans se ab „ illis lædi non posse, id ei ad suam perfectio- „ nem cognoscendam inserviat. Ut autem „ anima nostra ita contenta sit, nihil aliud de- „ bere quam virtutem exacte sectari. Quicun- „ que enim ita vixerit, ut conscientia sua ex- „ probrare ei nequeat ipsum unquam negle- „ xisse ea facere, quæ meliora esse judicavit, „ (quod hic vocetur sectari virtutem) hunc „ inde percipere satisfactionem, quæ tam po- „ tens sit ad, eum felicem reddendum, ut vio- „ lentiores motus Affectuum nunquam sat ha- „ beant virium ad turbandam tranquillitatem „ animæ ipsius. Alibi (f) hoc etiam vult de- „ monstrare; Nullam tam imbecillem esse ani- „ mam, quæ non possit cum bene dirigitur ac- „ quirere potestatem absolutam in suas passio- „ nes instituendas & dirigendas. Et circa fi- „ nem Tractatus (g) Cartesius tradit remedi- „ um generale contra excessum omnium Pas- „ sionum: Quod ubi sentitur fortis sanguinis „ com-

e) d. l. Part. 2. artic. 148.
f) part. 1. art. 50.
g) part. 3. art. 211.

commotio, præmoneri & meminisse oportet, omnia quæ se imaginationi offerunt non alio spectare quam ad animæ deceptionem, eique persuadendum, rationes quæ inserviunt commendando objecto passionis suæ longe firmiores esse, quam revera sint, & e contrario debiliores quæ eidem improbando serviunt. Et cum pasio ea demum persuadeat, quorum executio aliquam dilationem patitur, abstinendum à ferendo de illis ex templo judicio & alio avertendas esse cogitationes, donec tempus & quies plane sedaverint commotionem quæ est in sanguine. Id vero, semper posse qui solent animum reflectere super actionibus suis, ut nempe ubi se metu occupatos sentiunt, conentur avertere cogitationem suam a periculi consideratione, attendendo rationibus, propter quas multò major est securitas & honor in resistentia, quam in fuga: Et è contrario ubi sentiunt vindictæ, cupiditate & Ira se incitari ad incurrendum, præcipitanter in illos à quibus impetuntur, meminerint cogitare, imprudentiam esse sese perdere, cum salus absque infamia potest obtineri; & ubi impares admodum fuerint vires, præstare honeste canere receptui, aut in deditionem consentire, quam se more bellino exponere certæ morti. &c.

5. Circa doctrinam vero *Aristotelicam* notum est, quid in omnibus Ethicis Aristotelicis *de libertate contradictionis & contrarietatis humanæ volun-*

luntatis in oppugnandis affectibus doceatur, nimirum, quod per hanc *libertatem* homo *a brutis* potissimum secernatur: Quod in hac libertate fundetur omnis *Imputatio*, vi cujus homo autor actionum suarum habeatur, ideoque pro re nata vel laudetur vel vituperetur: Quod in processu actionum humanarum voluntas quasi in throno sedeat, & postquam eum appetitus sensibilis ad malum incitaverit, ratio vero eum a malo abstraxerit, semper ex *libero arbitrio* se ad bonum vel ad malum determinet. Et quæ sunt plura hujusmodi dogmata, quæ si non verbis, certe facto ipso idem dicunt, quod supra ex Cartesio attulimus, per quæ homo recta via, sive id confiteatur sive neget, ad Stoicismum vel ad Pelagianismum seducitur. Novi quod vulgo ad turpitudinem hanc palliandam sub velamine distinctionis inter *virtutes philosophicas & spirituales* latitare quærant, ita ut in illis quidem homini liberum arbitrium concedant, in his vero naturalem impotentiam confiteantur. Sed præterquam quod hæc distinctio verbis ex Lutheri libro supra allatis manifeste repugnat, dum Lutherus homini in externis etiam ac philosophicis actionibus liberum arbitrium denegat; facile animadvertemus, bonos hos viros universos in applicatione distinctionis suæ ad exempla sese offerentia adeo dissentire, ac nuditatem suam omnibus ostendere, dum verum discrimen inter actiones *philosophicas*

& *spirituales* sive inter *Naturam* & *Gratiam* (in quo veræ sapientiæ fundamentum consistit) non intelligunt, & quod vel ea quæ pro *virtutibus philosophicis* venditant, etiam per rationem ethnici cujusdam non obnoxii intelligi queant, nil minus esse quam virtutes, dum supra ex (h) Logica ostendimus, nullum plane hominem per naturam suam esse virtuosum, item unicam tantum esse virtutem, & qui non ubique secundum eius regulam vitam instituit, virtuosum dici non posse; vel etiam id quod pro *spiritualibus* virtutibus venditant, ne secundum rationem quidem non obnoxiam, virtutem & rationale quid, sed hypocriticam mixturam ambitionis & avaritiæ, vel ad summum, mixturam ambitionis & voluptatis existimandum esse, id quod ex collatione eorum quæ supra (i) de utraque hac mixtura docuimus, demonstrari potest.

6. Cum autem intentio nostra non sit, refutandis falsis dogmatibus immorari, sed incertitudo doctrinæ tam Cartesianæ quam Aristotelicæ, uniuscujusque qui demonstrationes præceptorum nostrorum hactenus traditorum clare intellexit, oculis sua sponte affulgebit, in præsenti capite sententiam nostram ex iis perspicue ac fundamentaliter tantum deducemus, ac compendiose demonstrabimus, *naturales quidem vires humanas ad affectus coërcendos modicas admodum ac debiles & nimis esse insufficientes*,

(h) c. 12, n. 38. seq. (i) c. 12, n. 3. seq. n. 6. seq.

tes, ad hominem ex inquietudine sua eripiendum, eumque ad summum bonum tranquillitatis animi & ad amorem rationem perducendum, nihilominus tamen *præcepta rationalia de supprimendis affectibus cap. præced. tradita non plane esse negligenda.*

7. Quoad *primum*, quisque apud se deprehendet, quam facilia ac rationalia præcepta capitis præcedentis ipsi videntur, in corrigendis aliorum nævis & in consilio ipsis impertiendo, *tam dubia ac difficilia eadem ipsi futura in his ad seipsum applicandis.* Quid prodest ægroto quod sentit se graviter ægotare, quod intelligit, medicinam ad morbum ejus depellendum utilem esse, si medicinam abhorret, vel si morbus ejus adeo invaluit, ut medicinam non retineat, sed ægrotum cogat eam per vomitum ejicere. Adde quod adhuc deterius sit, si medicinam bene cognoscat, sed sibi penitus persuadeat, se non esse ægrotum, sed bona valetudine uti, Medicum vero, qui eum sanare cupiat, esse ægrotum. Fere enim ægroti hi periculosissime decumbere existimantur, qui morbum suum non sentiunt. Iam vero cap. præced. (k) diximus, quod homo, qui affectus suos coërcere velit, afferre debeat *propositum*, sese emendandi debitamque *attentionem*, & *quod nemo ei hæc dare possit.* Quis autem dabit ei hanc attentionem & hoc propositum, si alius quis ipsi hæc dare nequit, & quomodo his ita se ha-

(k) n. 10. & 19. in fine.

bentibus sese componet ad Passionem dominantem coërcendam, eamque inquirendam, quod cap. præced. (l) inprimis præsuppositum? *Ipse* ad hoc plane ineptus est, effectu enim difficillimum erit, ut ipse cognoscat pravum aliquem affectum passionem suam dominantem esse, vel id quod in eum dominium exercet, quantumcunque est, malum esse. Supra (m) enim prolixe ostendimus quod in homine non intellectus voluntatem, sed *voluntas intellectum gubernet.* Ergo cum id quod in voluntate ejus regnat, malum sit, id vero intellectum occupet, ut is illud bonum esse existimet, unde intellectus accipiet vires hanc rem suam dominantem odio habendi, eamque malam existimandi? Unde accipiet attentionem ad eam inquirendam? Non sufficit, quod ex præcedenti capite (n) convincatur, quod per pravam *consuetudinem* naturam suam *deteriorem reddiderit*, si passio ejus dominans, quæ nil aliud est nisi ipsa ejus voluntas, hoc ipso quod in eum dominatur, eum impedit, ut nunquã hoc malum suum *in fundamento tam malum existimet*, quam alii id malum esse judicant. Quicquid amamus, bonum existimamus, etsi affectibus nostris sedatis ejus deformitatem agnoscamus. Hæc enim cognitio mox rursus evanescit, cupiditate per interna vel externa irritamenta iterum dominari incipiente. Nam hîc præteritam cognitionem, dum

(l) n. 3. 4 & seqq. (m) c. 1. n. 26. seq. (n) n. 7.

dum affectus tumultuatur, stolidam, præsentem vero, quæ a malo affectu dirigitur, prudentem ac sapientem existimari necessum est. Ita vero præcepta illa omnia, quæ superiori capite (o) prolixe *de indaganda passione dominante* tradidimus, frustranea sunt, dum homo raro aut nunquam idoneus erit, ut illa ad praxin transferat, præsertim cum ipsi supra (p) confessi simus, in inquirendo affectu dominante eundem nos facile eludere, dubium itaque est, an regula de consueta oblectatione per proprias speculationes (q) hominem in eius proposito multum juvabit.

8. Jam si tanta se offert difficultas circa nudam cognitionem in Intellectu, in inquirendo affectu dominante, quanta cum difficultate conjunctus erit *ipse ejus affectus aggressus*, & qua ratione homo, qui ab affectibus suis regitur, potens erit, ut ista tentare ausit? Quomodo regulas illas, quas *contra Præjudicia Imitationis & Præcipitantiæ tradidimus* (r) ad justam praxin deducet? Nonne semper verebitur, ne iis ulteriorem locum non relinquat, quam quatenus istæ alios tantum homines, non vero seipsum concernunt? Vel licet omnino egregias illas meditationes ad seipsum etiam applicet, tamen id non amplius se facturum nisi quatenus illæ inferiores saltem ejus affectus, non vero dominantem spectant, & quod hic sem-

(o) n. 8. & seqq. (p) cap. præced. n. 14. (q) ibid. n. 15
(r) cap. præced. n. 17. & seqq.

per sub latibulo fucatæ cujusdam virtutis ieſe occultabit?

9. Poſito autem, & hoc effici poſſe, tamen omnia illa tantum ſunt præludium quoddam oppugnationis Affectus dominantis, magisque ſpectant ad intellectum, quam ad voluntatem. Quando vero ad rem ipſam devenitur, & ſi homo ad ductum præceptorum ſupra (s) traditorum paſſioni dominanti *per vitandam pravam converſationem*, & *alias occaſiones alimenta ſubducere*, *& per ſtudium bonæ converſationis ac praxin actionum virtueſarum amorem rationalem extollere debet*; Quid hic facturus eſt? Voluntas per voluntatem oppugnanda eſt, & ſi virtuoſi fieri volumus, neceſſe eſt, ut bona voluntas malam voluntatem oppugnet. Unde autem homo accipiet *bonam voluntatem*, dum adhuc in eo ſtatu verſatur, in quo malam voluntatem dominantem bonam eſſe exiſtimat, & *bonæ voluntas* a mala adhuc captiva tenetur? Quomodo pravam converſationem ac irritamenta affectus ſui dominantis *fugiet*, cum *converſationi illi*, *ac irritamentis iſtis adhuc corde adhæreat*? Supra (t) quidem docuimus, *inferiorem* etiam *raffectum aliquem per objectum tam fortiter poſſe iritari*, ut quoad hæc irritatio durat, inferiorem affectum valide exuſcitet, ut ad eundem actiones noſtras inſtituamus. Verum & hoc ſuppreſſioni affectus dominantis parum incommodabit. Vbi enim *homines virtuti*

(s) cap. præced. n. 20, 21. (t) c. 12. n. 15.

tuti deditos inveniemus, qui exiguam istam scintillam amoris rationalis, quæ nobis inest, fortiter inflammabunt, cum supra (u) docuerimus, *nullum in mundo hominem esse vere virtuosum?* Imo ubi virtuosos homines, licet hi in mundo essent, reperiemus, dum eos cognoscere non possumus, quia illis tam dissimiles sumus? In hoc statu eos pro *stultis & insanis* habebimus, quia tam procul a cupiditatibus nostris eos remotos esse oportet. Necesse est, ut eos *pro seductoribus & impostoribus* habeamus & re optime confecta, eos qui ad affectum nostrum proxime accedunt, loco prioris societatis eligemus, naturale enim certumque est, nos amare id quod nobis est simile, odisse vero id quod ab affectibus nostris remotum est. Is ergo erit effectus, ut hos *virtuosos* habituri simus, in quibus *affectus noster dominans* etiam *prædominatur*, sed qui eundem non in tam externas crassasque actiones, fortasse ob aliam quandam mixturam, prorumpere sinunt. Vel summo studio adhibito, societati nos applicabimus, in quibus *secundus noster vitiosus affectus superiorem locum tenet*, *superiore* affectu nostro *secundum locum* occupante.

10. Et quomodo amorem rationalem *per praxin actionum virtuosarum extollemus*, cum nondum simus virtuosi, sed â vitiis regamur, ac per huiusmodi actiones primum virtuosi fieri, per easque affectum dominantem oppugnare

(u) c. 12. n. 38. seqq.

cupiamus. Vere hic committimus hysteron proteron. Ecquis consilium Medici prudens & effectui idoneum existimaret, qui ægroto podagra fortiter correpto hoc consilium daret, ut successive se exerceat, ut consurgens pedibus insistat, & in hypocausto deambulet, vel qui ægroto anorexia stomachi laboranti consuleret, ut morbo adhuc dominante pedetentim v.g. carni bubulæ, aut crudo petasoni comedendo assuescat? Nonne hoc ipso morbum redditurus esset deteriorem, omnemque salubrem medelam corrupturus?

11. Quare homo, secundum rationem passionem suam dominantem suppressurus longius progredi non posset, nisi ut *interdum occasionem ad affectum dominantem exercendum, vitaret, & ut quandoque occasionem quæreret, ad nunnullas actiones ipsi oppositas exercendas.* Sed & hoc ipsum eum sæpe decipiet, dum supra (x) docuimus, quod homo sibi *occasionem* pro lubitu procurare nequeat, sed quod sæpius in occasiones incidamus, quas non quæsivimus, & quas quærimus, non inveniamus, nec amplius tamen aliquid præstabitur, quam ut homo malum suum affectum, eiusque actiones, *per exuscitationem secundi vel tertii vitiosi affectus* parumper mitigaret, & e. c. *Invidiam* avaritiæ suæ per *mollitiem* voluptatis suæ, vel irrationalem *Impudentiam* avaritiæ per versutam *Gravitatem* ambitionis, vel *Crudelitatem* ambitionis

(x) c. 12. n. 24. seq.

nis per *Meticulositatem* voluptatis, vel *Impudentiam* voluptatis per ambitiosum *Metum ignominiæ*, denique actiones & voluptatis & ambitionis per diffidentem Meticulositatem avaritiæ temperaret, vel ad tempus occultaret.

12. Quid autem hoc homini virtutem quærenti prodesset? dum hoc ipso nihil aliud consequitur, nisi *ut ex uno vitio in aliud prolabatur*. Vel re optime confecta, ex omni philosophica emendatione & applicatione regularum artis rationalium *nil prodiret nisi hypocrisis*, ac homo omni labore adhibito, re ad summum perducta nil amplius præter *virtutem apparentem* sibi comparabit. Supra (y) enim perspicue ostendimus, fortes mixturas avaritiæ & voluptatis, item ambitionis & avaritiæ, huiusmodi virtutes fucatas atque hypocriticas efficere posse.

13. Sed *ne hoc quidem* per præcepta nostra supra tradita *constanter expectari licet*, ostendimus enim (z) irritationem passionis cuiusdam inferioris diutius non durare, quam dum objectum illam exuscitans præsens est, deinceps vero, objecto non amplius præsente, passionem alias dominantem cor, sensus & cogitationes nostras gubernare. Imo etsi passio nostra dominans non semper *occasionem* sibi procurare posset, infinitam suam cupiditatem *pro lubitu explendi*, superiora tamen præ-

(y) c. 12. n. 3. seq. n. 6. seq. (z) c. 12. n. 19. (aa) c. 12. n. 58. 59.

cepta (aa) ibidem oſtendunt, quod nunquam vel raro ei defutura ſit occaſio ſeſe confirmandi, ac dominium ſuum tam in amorem rationalem, quam in affectus inferiores vitioſos conſervandi.

14. Ergo cum tam parum ſpei reliquum ſit, ut homo regulas de remedio amoris irrationalis ſibi applicare, vel præcepta idonea ad vitia oppugnanda addiſcere, in iisque ſe exercere queat, inde ſua ſponte ſequitur, *nunquam eum futurum eſſe in eo ſtatu, ut exercere poſſit regulas artis rationalis ſupra* (bb) *a nobis traditas, quemadmodum homo poſt ſumptam medicinam, & præcepta ad praxin deducta, allaborare & ſeipſum examinare debeat, an prioribus ſuis irritationibus reſiſtere valeat.* Quomodo enim is pugnabit, qui tam ineptum ſe agnoſcit, ut nullum artis præceptum addiſcere queat? Et quomodo is audebit agere ea quæ ſani homini homines agere ſolent, qui inde a nativitate ſua mala corporis conſtitutione uſus eſt, qua medicinam ſumere impeditur? Simul hoc ibidem notavimus, homini in praxi examinis hujus cavendum eſſe, ne fortiores irritationes aggrediatur, ſed tales duntaxat, quæ non multo fortiores ſunt, quam eius vires: Sicut forte is qui ſerias colluctationes inſtituere cupit, non ſtatim robuſtiſſimum in palæſtra pugilem aggreditur, ſed talem

(bb) c. 14. n. 22. ſeq.

lem qui viribus ei fere æqualis est, & uti ægrotus qui vires suas sentit adauctas, non statim ad crassum laborem se accingit, sed prius deambulando & quæ sunt hujusmodi, auræ frigidæ se exponit. Quomodo autem homo in viribus suis examinandis *objectum pro lubitu poterit eligere*, cum docuerimus (cc) non posse eum sibi occasionem formare, qualem vult, eumque perpetuo innumeris modis irritationibus affectus sui esse circumdatum? (dd) Ita vero nunquam sperare poterit, se posse vincere, sed semper se debere succumbere. Imo licet forte irritatione secundi ejus affectus affectum dominantem ad tempus coërcuisset, sana ratio tamen eum docebit, verendum sibi esse, ne subsecuto examine vel occasione præter voluntatē eius ipsi oblata, objecto illo, quo se examinare constituit, fortius adhæreat, & in ejus compedes incidat, eo ipso quod cupiditas ejus hactenus suppressa fuerit. *Omnes cupiditates sunt quasi fames ac sitis animæ.* Quo magis autem fames & sitis compescitur, eo fortius deinceps in cibum ac potum irruit, eoq; minus postea moderari potest. Exempla quotidiana ostendunt, hanc ipsam ob causam stolide amantes mutuam amicitiam tollere, quia abstinentia ad tempus cupiditates eorum fortius accendit. Falsissimum itaque est & palpabilis error, eum Cartesius docet: *hoc esse remedium generale contra omnes*

(cc) c. 12. n. 24. (dd) c. 12. 58. 59.

mnes affectus, ut homo quando sentit se iisdem impeti, judicium suum suspendat, & actionem usque ad tempus tranquillitatis differat, item quod secundum *vulgarem doctrinam* voluntas humana natura sua ad bonum & malum sit indifferens, & quod homo habeat *liberum arbitrium*. (ee)

15. Nunc vero facile ostendi potest, passionem dominantem hominem impedire, ne *regulas capitis præcedentis ad singulas passiones in specie applicatas in praxi exercere queat*. Si *Voluptas* in eo dominatur, (ff) ea ipsum semper invitabit, ut Sobrietatem & Castitatem, si non pro vitiis, tamen pro stultitia habeat, & gustata dulcedo ac delectatio eum impediet, ne unquam malum voluptatis exacte perpendat. Imo hoc ipso molestiam cum sensu voluptatis immediate conjunctam non existimabit esse molestiam, sed sibi persuadebit, eam esse partem eius essentialem, variationem enim delectare, & e. g amantium jurgia frequentia, ex imaginatione eorum, amoris redintegrationem esse. Ac tandem quidem periculum veletudinis suæ agnoscet, sed vel stulta ratione periculum studebit evitare, non vitata ejus causa, vel sibi persuadebit nullum sibi metuendum esse periculum, dum vel frustra se consolatur, nolle se excessum committere, vel sibi tempus futurum præfiget, quo cupiditatem suam intermittere velit. Non habet patientiam ad ullam maturam con-

(ee) conf. suprà §. 4.5. (ff) conf. cap. præced. n. 26.

consideration em, nedum ad eam, quæ voluptatem ejus aggredi debeat. Non potest vitare conversationem, sed si ei se vult subtrahere, in morbum incidit, & ingentes patitur cruciatus. Aliorum hominum, ut ambitiosorum & avarorum consortium ipsi molestum est. Ad laborem se accingens, protinus pustulas in manibus contrahit. Est inconstans. Per naturalem præcipitantiam suam viribus suis nimis confidit, & quamprimum ad consuetas occasiones redit, subito capitur.

16. Vbi *Ambitio* dominatur, ea hominem impediet, ne vanitatem gloriæ humanæ, tranquillitatem Status intermedii, molestiam honoris, & pestilentes effectus ambitionis agnoscat, nec sibi persuadeat, posse se eosdem ingeniositate ac versutia sua evitare. Voluptuosos, item avaros tolerare non potest, aliorum vero ambitiosorum consortio vacare ipsi est impossibile, imo nescio quid committeret, ne aulam missam faceret. Ac licet inferioribus vel egenis inserviret, tamen eius ambitio oblectamentum suum in eo quæreret, ut ab ipsis laudaretur.

17. *Avaro* denique (hh) iudicium ejus per se debile ne hoc quidem permittet, ut avarum se esse putet, nullum enim vitium cognitionem sui magis impedit, quam Avaritia, Voluptate impudenter ac aperte actiones suas confitente, Ambitione vero eas pro ipsis virtuti

(hh) conf. c. præced. n. 28.

tutibus venditante. Et si vel maxime avaro persuaderetur eum esse avarum, ipsum tamen ejus temperamentum eum magis adhuc impediet, ne vanitatem divitiarum, ἀυτέξηειαν in paucis, item molestiam avarorum eorumque miserum exitum recolat. Non delectatur quidem consortio avarorum, & voluptuosos potius quærit & ambitiosos; sed avarorum conversatione carere non potest, quia hi præ cæteris multum negotiantur, ac si negotiis & commerciis se subducere velit, idem ageret quod piscis qui extra aquam vivere vellet. Liberales actiones ac beneficia exercere æque molestum ei futurum esset, quam tortura carnificis, officia vero præstare, ex quibus compensatio nulla ipsi expectanda est, tam ipsi foret difficile, quam homini spasmo membrorum laboranti, erecta ambulatio.

Quantumvis autem ars rationalis ista sit insufficiens, *non est tamen illa plane contemnenda nec negligenda.* Quotidiana enim experientia ostendit, quod *scintilla* ista *amori rationalis* apud quemvis hominem residua, illum sæpe & quotidie *commonefaciat*, ejusque actiones *reprehendat*. Et licet homo impotens sit ad passionem dominantem *coërcendam*, ac rarissime idoneus sit, ut forti cuidam irritationi *resistat*, ne in externas actiones prorumpat, nisi eum metus alius passionis vitiosæ, vel metq pœnæ retrahat, potens tamen est *ex libera voluntate plus mali agere*, ac studiose *quæsita occasione* & spontanea in-

inclinatione ad actiones affectum eius magis confirmantes, fortius eum irritare adeoque peior fieri; Item etsi sæpe prævideat, se aliquid acturū, quod ipsum deinceps pœniteat, & sæpe quidem occasionem in eam incidendi se posse vitare, si ab ea mature, & passione ejus nondum tam valide irritata, abstineret, tamen sæpe *absque forti incitamento apud se constituat*, velle se contra hanc rationalem scientiam agere; Item occasione ipsi *Deum* subtrahente, ne secundum affectus suos dominantes agat, ac sæpe per divinam gratiam & providentiam suam exilem amoris rationalis scintillam *exuscitante* ad passionem dominantem felici successu oppugnandam, illum huic *irasci*, & hanc a Deo ipsi largitam fortunam *infortunii* loco habere, nec vias divinæ providentiæ, quæ tamen per doctrinam supra (ii) traditam ab ethnicis multis intelliguntur, & ex causis valde rationalibus demonstrari possunt, expendere, sed ipsis *resistere*, easque viribus voluntatis suæ penitus depravatæ tribuere.

19. Jam uti hæc omnia ipsi hoc præbent, cognoscendum, se quidem ex seipso impotentem esse, ut *melior* fiat, quam fuit inde a juventute sua; sed per voluntariam negligentiam, liberamque voluntatem se *peiorem factum*, quam in iuventute fuit, adeoque se ea etiam gaudere potestate, ut *voluntariam hanc atque spontaneam repugnantiam intermittat*, nec amplius concitato quasi cursu in majus malum decurrat; Ira ex-

(ii) cap. 12. n. 27. & n. 50. seq.

ex doctrina morali hunc usum tamen capiet, ut agnoscat, se ex ea cognitionem eam hausisse, adeoque se magis libidinosum ac effrenem futurum, si jam in agnita sua negligentia ac malitia, de qua convictus est, pergere vellet. Ægrotus, de cuius vita omnes Medici desperant, & quod triennium forte non supervicturus sit, si diætam observet, si vero eam negligat, prognosticon ei formant, vix per mensem eum victurum, stulte tamen aget, si in naturam suam grassari, nec salubrem diætam usurpare velit, & alius quidam febri hectica tam fortiter correptus, ut per totam vitam ipsi hæc adhæreat, nihilominus irrationaliter ageret, si præscriptis medicamentis non uteretur, ex quorum usu Medicus ipsi promitteret, fore ut paroxysmi quotidiani vel mutarentur; vel altera vel tertia demum die rediturі essent, certe minus sint vehementes.

20. Hac ratione vero alia quædam *pernicioſa ac periculoſa opinio* vitatur, fundamenta omnia imputationis factorum, omnemque pœnarum iustitiam tollens, & evincere studens, *hominem quicquid agat, ex inevitabili neceſſitate agere*, eique absolute impossibile esse, aliter agere, ex qua deinde vel fatum Stoicum, vel certe horrendus quidam conceptus de *eſſentia divina*, quasi ea esset *tyrannica* vel *impotens*, formatur, proximam ad Atheismum viam sternens. Nam ex demonstrationibus hactenus allatis manifestissime apparet, quod hominibus

bus ob liberam eorum petulantiam, eorum actiones *recte imputari*, iique ob easdem *puniri* queant, & quod pœnæ per leges ipsis positæ *metum* illis incutiant, quarum consideratione iis si non voluntas, occasio tamen interdum adimitur, secundum passiones eorum dominantes agendi, sicut forte Medicus ægrotum, omnia noxia edere ac bibere cupientem, sæpius per metum periculi vel mortis incussum, a pravis ejus cupiditatibus abstrahit. Manifestum tamen est, *per hunc metum neminem effici probum ac virtuosum*, sed in fundamento manere malum, nec omnem hunc metum sufficientem esse, si homo seductus sibi persuadet, actiones suas se velle clam perficere, vel judicem eum non puniturum: Ita ut *Leges punitivæ* & omnis Coactio nil prætrr *Hypocritas* efficere valeant. Ac multa hîc quidem circa *leges punitivas humanas earumque praxin* notanda essent, cum & hæc Iurisprudentiæ pars a capite usque ad calcem corrupta sit; Sed cum hæc ad aliam potius disciplinam, quam ad *Ethicam* pertineant, his non immorabimur.

21. Non possum tamen *communem errorem Ethices*, ut ubivis illa tractatur, dissimulare; Sanam nimirum rationem, ac demonstrationes supra traditas monstrare, quod homini quidem actiones ejus ad pœnam imputari queant; quod vero *laudem nullam plane mereatur, bonum agens*. Nam (1.) secundum naturam suam nil boni agit, sed non nisi malum. (2) Si

voluntate sua ita utitur, ne libidinem suam sequatur, nec tam malus est, sicut esse posset, per id plus laudis non meretur, quam fur, qui centum tantum thaleros abstulit, cum mille thaleros furandi occasionem habuerit. (kk) (3.) Voluptuosus laudem non meretur, si non tam ambitiosus est, quam ambitiosus, nec ambitiosus, si minus avarus est quam avarus, nec avarus, si minus voluptuosus est quam voluptuosus; Quia nemo horum voluntarie talis est, sed ex impulsu pasionis suæ dominantis. (4.) Quando per divinam providentiam homo impeditus fuit, ut occasionem peccandi quæsitam non invenerit, rursus deest fundamentum, cur homo laudetur, nec Deus potius celebretur. (5) Etsi in minori gradu aliquid boni egisset, nondum tamen omnia fecisset, quæ ipsi etiam ratio agenda dictitat. Ecquis autem dicet, malum debitorem laudem aliquam meruisse, qui millesimam forte debitorum suorum partem solvere incipit. (6) Denique Laus humana nullum usum habet, nisi ut homines reddat superbos, eorumque ambitionem alat, vel voluptatem & avaritiam eorum compescat, ne tam valide semper prorumpant. Hoc monitum vero eo magis est necessarium, quia hi quos in scholis & Academiis, imo in sanctiore cathedra illud inculcare oporteret, perniciosam doctrinam contrariam verbis & factis defendunt, & quia in tali seculo vivimus, in quo Theologi Evan-

(kk) Conf. Henr. Morus in Schol. ad lib. 3. c. 1. Sect. 2. Enchirid. Ethic.

angenci imo tota Ministeria non erubescunt in publicis scriptis docere, hanc doctrinam nostram, qua vel honestus ethnicus convinci posset impiam esse & anticristianam.

22. Ergo cum *homo* miseriam suam animadvertens, ac intelligens se impotentem esse, ut media capitis præcedentis exerceat, seipsum diligenter observat, cavetque ne ita temere, sicut antea fecit, discurrat, ac sæpenumero, cum tentat an longius progredi queat, de miseria ac impotentia sua magis magisque reipsa convincitur; Cogitari facile potest, *parum* eum inde *delectari*, sed necessum esse ut *contristetur*, *nec* Philosophiam vel *doctrinam moralem eum posse consolari*. Sed hoc tanto melius existimandum erit, ad demonstrandum, præcepta capitis præced. non contemptim esse habenda, propterea quia nobis quidem ostendunt, quemadmodum affectus humanos coërceri oportebat, simul autem eo nos deducunt, ut discamus, per vires nostras naturales eos non posse coërceri, sed hanc potentiam, ac solatium tristitiæ nostræ a sublimiore ac sanctiore disciplina nobis expectanda esse. Atque idipsum inter cæteros *characteres* referendum est, *Ethicam nostram verum examen* sustinere. Omnis *vera Philosophia* nihil aliud esse debet, nisi ut hominem *ad veram Theologiam* quasi *manuducat*, & Lumen naturæ est instar candelæ, qua homo in cella tenebrosa occlusus (qui in tenebris ipse errabundus vagatur) utitur, ut ejus adjumento ad januam fortiter obseratam

deducatur, per quam lux diurna, etsi obscure admodum, lucet, & qua deinceps non amplius utitur, sed eam abjicit, postquam per gratiam ostiarii ad lucem meridianam pervenit: Ergo *ubi desinit Ethica, ibi ejus defectum supplet divina Sapientia.* *Ethica* ulterius non procedit, nisi ut homini statum bestialitatis cognoscendum præbeat, eumque inde ad statum *humanitatis* perducat. Sed quomodo ab humanitate nudaque ratione abducendus, & ad verum Christianismum perducendus sit, sacra ostendit Scriptura, & in hoc eum adjuvat divina Gratia.

23. Cæterum dubitari non potest, *Ethicam* nostram certe in hoc capite talem fore, ut *junioribus* etiam prosit, idque eo magis, quia ulterius non procedit nisi ut *hominis miseriam atque impotentiam cognoscendam præbeat.* Quo juniores sunt homines, eo minus habent præjudiciorum, eoque pauciores irritationes ac machinationes pravi sui affectus naturalis experti sunt, & eo minores is egit radices, cum ex adverso per malam consuetudinem magis reddatur operosum, ut homo quanto plures annos habet, tanto difficilius miseriam suam, nedum naturalem impotentiam intelligat. Quanto major quis est ætate, tanto difficilius is deinceps a ratione sibi relicta discedit, tantoque minorem gustum capit sapientiæ divinæ in Scripturis absconditæ.

24. Nec moralis tamen hæc nostra Philosophia in gratiam *tenellæ adolescentiæ*, sed pro *adul-*

tis, cum *deceptis* tum *decipientibus*, scripta est. Pro illis, ut expergiscantur, & pestilentes communes doctrinas caveant; Pro his, ut si ex ignorantia hactenus peccaverunt, hanc ignorantiam suam emendent, ac Deo honorem dent, ad agnoscendam miseriam suam, sicut ipse hic honorem Deo tribuo, atque confiteor me non ita pridem cum jam tempus aliquod in hac posteriori Ethices parte laborare cœpissem, adhuc hæsisse in hoc præjudicio, ut communem illam distinctionem nihil significantem inter virtutes Philosophicas & Theologicas me passus fuerim seduci, nec naturalem impotentiam etiam in virtutibus philosophicis animadverterim, sed nescio quantos homo in iis progressus facere queat, existimaverim. Unde & auditoribus meis, quos tunc habebam, hunc errorem impressi, iisque capitis præcedentis sciopraphiam quidem aliquam tradidi, sed demonstrationes capitis præsentis, quas tum ipse ignorabam, omisi, cujus rei veniam & oro & spero. Si qui vero vulgares errores nondum volunt agnoscere, sed doctrinis moralibus ethnicis & plusquam Papisticis, ac jactatione virium liberi arbitrii, amoris sui ordinati, moderati studii honoris, opum & voluptatis, pergere: tamen *Philosophia* hæc *moralis* divina favente gratia hanc etiam præstabit utilitatem, quod scripta sit in testimonium contra illos.

EPILOGUS.

SUMMARIUM.

Vsusfructus præsentis Philosophiæ moralis. n. 1. Consensus præcipuarum ejus doctrinarum cum Scriptura sacra, nimirum Amorem esse summum bonum, reliquas virtutes omnes, inprimis vero quatuor virtutes cardinales veterum ad illum referri posse. n. 2. Voluptatem, Ambitionem & Avaritiam esse generalia tria vitia primaria. n. 3. Hominem esse impotentem ut seipsum reddat beatum; In hujus etiam Impotentiæ agnitione gratiam divinam contineri. Observatio necessaria de finibus Naturæ & Gratiæ. n. 4. Connexio Ethices philosophicæ cum Ethica Christi. Conceptus de octo beatitudinibus ex concione Christi in monte. Pœnitentia. Fides. Charitas. Tres viæ, Purgativa, Illuminativa & Vnitiva. Suppressio trium vitiorum primariorum, Acquisitio aliarum virtutum illis oppositarum, & Elevatio amoris rationalis ad amorem DEI. Odium theologicum venenum pestilentissimum. n. 5. Vna tantum est hominis Beatit., cujus in hac vita initium fieri debet. Vera conversio in agone periculosa est, ac raris exemplis confirmata. Latro in cruce, ut videtur, non fuit impius in extremo gradu, prius legitur de eius bono opere, quam de eius confessione fidei. Error, summum bonum Philosophicum & Theologicum distincta esse realiter. n. 6. DEVS Christus & Spiritus sanctus sunt causa efficiens beatitudinis humanæ. Fides, Charitas, Spes, Sapientia conjunctim, non vero separatim hominem salvificant. Compendium hujus doctrinæ circa inveteratam illam controversiam: Fidesne an Charitas cum operibus suis salvificet. Vanitas eorum, qui super hoc disceptant. n. 7. Compendium Ethicæ hujus in dijudicanda controversia de perfectione

in

in hac vita, in cognitione diversarum viarum Pœnitentiæ & Conversionis, externæ apparentiæ conversorum, diversarum tentationum, ac diversorum consiliorum pro tentatis, item variarum sectarum. n.8. Compendium Ethicæ præsentis in Physica. Nævi Lutheri, in glossa quadam ad librum Sapientiæ. n.9. Compendium huius Ethicæ in vera Politica & in Disciplina Decori, falsum iudicium Apologiæ A C. de Aristotele. n.10. Cur autor ad tempus calamum sepositurus, & selectum Auditorum imposterum facturus sit. n. 11.

I.

PAradoxum sine dubio multis videbitur, quando in Ethica mea doctrinas multas reperient, reliquis libellis Ethicis omnibus fortasse contradicentes, certe *quoad fundamentum a methodo reliquarum Ethicarum valde discrepantes.* Ego vero, uti ipsis fidem facere possum, me id non feciſſe ex ambitione, nec ullam inde gloriam mihi tribuere, eamve quærere, dum convictum me ita scribere oportuit, sicut me divina veritas Scripturæ sacræ simpliciter duxit; Ita & illi *Ethicam meam cum verbo divino conferent*, ac inde occasionem arripient, perspicue cognoscendi, quod *communis ethicus docendi modus a verbo DEI abducat*, & cum illo æque ac lux cum tenebris misceri nequeat, & *Scripturam sacram in omnibus quatuor Facultatibus majoris æstimabunt, quam id hodie, eheu, fieri consuevit.* Ac si forte præter spem reperient, me in doctrina mea morali aliquid docuisse, quod cum sancto DEI verbo non consentiat, id *audacter reiiciant.*

Homo enim sum, & quotidiana opinionum mearum mutatio ac emendatio mihi satis ostendit, doctrinas meas non esse infallibiles, easque nemini esse obtrudendas, QVIA cum verbo diuino consentiant, sed tolerandas solum vel acceptandas QVATENUS cum verbo divino consentiunt. Et sicut præcedens caput ostendit Ethicam meam pro seductis potissimum scriptam esse; ita hi, qui iam vivum aliquem gustum in verbo divino reperiunt, recte agent, si hanc Ethicam meam *non legent*; Tam parum enim gustus in ea invenient, quam adultus si ambulare cogeretur in serperastro, in quo pueri tenelli discunt incedere: Æque etiam ii, qui olim erant seducti, præsertim præteriti Auditores mei, necesse habent ut post cognitionem veritatum in Ethica nostra demonstratarum, hunc *librum meum abiiciant*, & in solo DEI verbo unice hæreant: Vti forte ægrotus cruces quibus iunixus incedere didicit, valetudine recuperata abiicit. Tota enim doctrina mea longius non progreditur, quam ut literatos ac studiosos *convincat*, quam plena sint omnia fimo & stercore in literatura ubiuis locorum regnante, & quomodo hoc stercus *expurgari* oporteat. Qua ratione autem expurgari *possit*, bonum vero in eius locum *afferri* debeat, hoc sublimior schola docet, in qua ego non sum Professor, sed tantum in ultima classe Auditor.

2. Spero tamen *fundamentum præsentis Ethicæ meæ cum sacra Scriptura concordare*, nec ali-

aliud quid, licet non tam perfecte, docere, quam Scriptura claris verbis docet. *Amorem esse summum bonum*, ex Scriptura etiam patet, quæ non tantum dicit, ipsummet DEUM esse Amorem, sed & in veteri æque ac in nouo Testamento graviter inculcat, præceptum de amore DEI & proximi esse centrum, in quo pendeat universa Lex & Prophetæ: Sed cur non etiam Evangelium? postquam Christus unicum hoc mandatum discipulis suis valedictionis loco reliquit, ut se mutuo ament, & dilectus eius discipulus in Epistola sua ultimum hoc mandatum amantissime inculcat, & connexionem amoris DEI & proximi ad oculum demonstrat. Præterea Scriptura ostendit, quod in futura vita Fides quidem & Spes tanquam virtutes intermediæ cessabunt, sola vero Charitas mansura sit. Facile item demonstratu esset, *virtutes in prima parte Ethices adductas*, quas ad amorem cum universalem tum particularem, item ad officia hominis erga seipsum requisivimus, nec minus illas quarum in Tabula partis posterioris, in collatione amoris rationalis cum tribus vitiis primariis, mentionem fecimus, *omnes in Scriptura sacra inculcari*, si quis de hoc ipso dubitaret; Sed sufficit, iam solum allegasse Paulum, qui in egregia oratione panegyrica, Amori dicta, ostendit, virtutes omnes quotquot sunt, ex Amore tanquam è proprio centro radiare. Et sicut in circulo radii e centro ducti ob infinitam multitudinem suam numerari nequeunt,

unt, sed uniuscujusque libertati merito relinquitur, in quot partes circulũ dividere velit, sive per Diametrum in duas, sive decussatim in quatuor, vel pro diversitate circumstantiarum in tres, quinque aut plures partes; Ita Scriptura in recensendis virtutibus ex Amore profluentibus, quæ diversimode enumerantur, ostendit, non esse certo alicui numero insistendum, nec litigandum, an secundum sententiam priscorum Philosophorum ante Aristotelem quatuor virtutes Cardinales, an vero secundum Aristotelem undecim an denique ex mente plurium recentiorum alius virtutum numerus, & quarum virtutum esse debeat? Dubito tamen, an Aristotelici tam clarum aliquod dictum Scripturæ in favorem virtutum suarum reperturi sint, quam pro *quatuor virtutibus cardinalibus veterum* (quas etiam in priori Tabula partis posterioris cum hypothesibus nostris conciliavimus) ex libris Salomoneis allegari possunt, cum de sapientia pronunciat: *Si Iustitiam quis diligit? Labores hujus magnas habent virtutes, Sobrietatem enim & Sapientiam docet, & Iustitiam & Virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

3. Ad cognitionem *trium vitiorum principalium* me deduxit consideratio doctrinæ veterum de septem vitiis cardinalibus, quæ olim in Papatu sub vocabulo SALIGIA memoriæ impressêrunt, item collatio eorundem cum dicto Iohannis, in quo *omnia quæ a mundo sunt, & non a*

Pa-

Patre, ad tres classes refert, *concupiscentiam oculorum*, *concupiscentiam carnis*, & *superbiam vitæ*. Et quanto magis de hac re in humilitate & in timore Domini cogitavi, tanto magis ejus perspicuitatem in collatione cum lapsu hominis, item cum natura hominis post lapsum secundum omnes historias, intellexi, & quotidie plures veritates animadverto, cum hac pulcre connexas, ac multis in partibus magnum lumen præbentes. Alibi in lectionibus privatis in Historiam ecclesiasticam ostendi, in *descriptione lapsus Euæ*, & *colloquii eius cum serpente* perspicue contineri, quemadmodum *per tria vitia principalia Imago divina destructa* sit, item quemadmodum *sub Jabal*, *Iubal* & *Thubalkain tria hæc vitia principalia in formam artis redacta*, ac per hoc infinita confusio & discessus a DEO in rempublicam introducta fuerint. &c.

4. Denique ad cognitionem *naturalis Impotentiæ ac Insufficientiæ virium humanarum* me per divinam gratiam deduxerunt tot clara Scripturæ dicta, quæ fere in omnibus libris Biblicis continentur, & fere in omnibus concionibus recitantur, mihique ostenderunt *vulgarem nostratium doctrinam de libero hominis arbitrio &c.* cum his non posse consistere. Quod si alicui adhuc paradoxum videatur, is *Librum Sapientiæ* duntaxat in humilitate sibi proponat, vel unicum illud dictum: *Initium sapientiæ timor Domini*: in timore Domini, non autem in timore hominum, secum expendat, & mox deprehendet, quan-

quantis in erroribus totus mundus adhuc hæreat. Ac spero quidem demonstrationes Ethices meæ tales esse, ut ethnicum etiam vel irregenitum cujuscunque sectæ convincere queant, dum ex principiis rationis universalis & ethnicorum etiam cordibus implantatæ, fundatæ sunt; postrema tamen duo capita ostendere poterunt, facillimum esse, ut quis ex *ratione* nuda ac *sibi relicta* tandem in errores maximos ac pernicioſissimos prolabatur, & proinde ut quis id quoque cognoscat, idque caveat, non *nudæ Naturæ*, sed *gratiæ* divinæ deberi, quod Salomon perspicue docet, quod etsi fuerit puer ingeniosus, & sortitus sit animam bonam, (id quod facile intelligitur ex his quæ supra de mixtura Voluptatis & Ambitionis diximus) & quod simul recte educatus fuerit, veneritque ad corpus incoinquinatum, tamen deprehenderit, *quod aliter non posset esse continens, nisi DEVS det, & quod hoc ipsum esset ingens* (nec naturalis) *sapientia, scire cujus esset hoc donum*, itaque alibi confessionem meam edidi, quod *in cognitione Impotentiæ virium naturalium primus contactus gratiæ divinæ ac luminis naturæ consistat.* Adeoque cum dictum est: *Vbi desinit Ethica ibi incipit Theologia*, id ita non est intelligendum velut fines *duorum corporum solidorum contiguorum*, non autem mutuo unitorum, sed velut fines *duorum fluviorum*, quorum aquam distinctam etiam per visum circa communes eorum fines cognoscere licet, etsi in attactu ita invicem uniti sint, ut

in

in finibus, quos visu cognoscimus ne guttam quidem possimus eximere, in qua non uterque fluvius concurrat.

5. Jam vero quomodo *Gratia divina defectus Ethices suppleat*, hæc ut doceam sum inidoneus, quia hujus rei nondum ubique vivam cognitionem in plena virtute possideo, spero tamen eandem, licet adhuc sit admodum debilis, non plane mortuam fore. Et ut quilibet intelligere & examinare queat cujusmodi ea sit, & an me secundum calumnias inimicorum meorum, tanquam Atheum vel hæreticum vitare, vel ut hominem veritatem sincere ac studiose quærentem intueri debeat, *Symbolum fidei meæ* sincere enunciabo. Hoc vero nullus homo, ne Propheta quidem vel Apostolus ullus condidit, sed is qui major est omnibus Prophetis ac Apostolis, nimirum ipse Salvator noster, ac qui ideo in mundum venit, ut homines ab omni malo liberaret, & ad summum bonum (cujus acquisitionem Ethica nulla dare valet) perduceret. Continetur illud in concione Christi in monte habita, & in *octo* illis *beatitudinibus*, quibus Salvator concionem suam montanam inchoat. In his *totam Ethicam Christianam* inveni, eamque sic concipio: Primo *beati sunt*, qui *spiritualem* suam *paupertatem* & impotentiam se juvandi, agnoscunt, hîc enim uti jam dixi, Gratia incipit, vbi Natura per eam contacta desinit. Et hoc significat, quod dicitur: *Eorum est regnum cœlorum*, quod natura consequi ne-

nequit. *Beati sunt*, qui super hac cognitione *contristantur*, nec tantum *lugent* stultitiam quam designarunt, sed & impotentiam, quod neminem adhuc vident, cui possent confidere, ut is ipsis opitulari posset aut vellet: Interim tamen cum Cornelio incipiunt Deum timere, eleemosynas erogare &c. Nam Deus illos in hac tristitia sua non deseret, sed eos *consolabitur*. *Beati sunt*, qui durante tristitia sua in spiritu *quieti* sunt, nec pergunt sibiipsis opitulari, sed cum Cornelio orant, ac patienter Gratiam divinam expectant. Hi *tres gradus* requiruntur ad *pœnitentiam*, simulque continent viam purgativam. In exuscitatione enim *spiritualis paupertatis* Deus simul cor eorum arripit, idque purgat ab *Avaritia*, ut opes possideant, quasi nō possidentes. Oborta tristitia & luctu DEUS cor eorum purgat a *Voluptate*, iisque loco prioris immundæ ac inquietæ delectationis consolatione sua largitur prægustum quieti purique gaudii in Domino. In exuscitatione *Mansuetudinis* Deus cor arripit, & nos purgat ab iracunda *Superbia*. Simul hominibus cognoscendum præbet, Superbiam inidoneam esse quæ *Tellurem possideat*. i. e. corda hominum in mundo lucretur, solamque id valere Mansuetudinem, ut nulla vis, non acerba vel ignominiosa verba corda hominum afficiant, sed istud Amorem, Mansvetudinem ac Patientiam efficere oportere. Postquam homo dicta ratione in statu *Pœnitentiæ* stetit, cor ejus ad *Fi-*

dem

dem accenditur, ut firma fiducia in *quarto* gradu *Beatitudinis esuriat ac sitiat* non fortunam mundanam, sed ut in Christo *Justitiam* ejusque fructus consequatur, & certus est hanc sitim suam *saturatum* iri. Deus enim prævia purgatione & extirpatione zizaniarum hortum Iustitiæ vel Amoris in corde eius plantat. Loco Avaritiæ hominibus largitur *Misericordiam*, & in cordibus eorum excitat majorem *certitudinem Misericordiæ divinæ quotidie gustatæ*. Loco Voluptatis donat illis *cor mundum*, in quo *Deum* invisibilem qui est lumen invisibile purissimum, spiritualiter oculis cordis sui *intuentur*. Loco violentæ Ambitionis dat ipsis immensam virtutem veræ tranquillitatis animi ac *pacis*, ut non tantum has virtutes per inhabitationem Dei in cordibus suis largiter percipiant, sed & de pace loquantur, pacem suadeant, alios secum tolerent, & *pacificationes*, ubicunque possunt, instituant, adeoque ab omnibus pacis amantibus *Filii Dei nuncupentur*. Deus enim est Deus pacis, qui bella aufert usque ad finem terræ, arcum conterit, arma confringit, & scuta igni comburit. In *quarta* Beatitudine intelligo *connexionem viæ purgationis cum via illuminationis*, sive ascensum ab hac ad illam, & in *sequentibus tribus* beatitudinibus *tres gradus viæ illuminativæ*. *Ultima* Beatitudo vel repræsentat *viam unitionis*, sive summum gradum beatitudinis, quantam in hoc mundo consequi licet, vel (si per unitionem in-

intelligitur ea, quæ futura est in vita æterna) *ascensum ad eandem & connexionem viæ illuminationis cum via unitionis. Christianus perfectus* spiritu DEI impulsus ad varios fructus elegantes amoris ostendendas, & ad lucem suam lucere faciendum, non potest mundo occultus manere. Quamvis enim vita ejus tranquilla atque mansueta, quibuscunque hominibus, ne inimicis quidem exclusis, benefacit, tamen eius actiones in oculos mundi tam fortem splendorem emittunt, ut, etiamsi taceret, eius tamen exemplum hominum malitiam omnium oculis exponeret, eadem ratione ac si homo dissolutus, aliusque juvenis modestus simul in eadem conversatione essent, pueri etiam tenelli petulantiam prioris per modestiam posterioris sua sponte discernere noverunt. Quemadmodum igitur ejusmodi effrenis homo modestum hominem ægre secum tolerare potest, sed mox leviſſima causa arrepta ipsi insultat, ita mundus cum piis pacem colere nequit, & quo magis illi in sapientia, fide & amore crescunt, eo magis hos odit, estque illud odium capitale, eo quod per illud hominis fama, opes, imo ipsa vita impetitur, & ob summum bonum a summo malo feritur, ac origo hujus inimicitiæ, quæ magis est virulenta quam omnes inimicitiæ politicæ, iisq; tanto magis opponenda, *odium Theologicum*, à præcipuis Satanæ ac mundi instrumentis, falsis Prophetis ac Theologis appellatur. Ergo ut quis *hanc inimicitiam & quintam quasi essentiam omnis malitiæ, cum patien-*

tientia, humilitate ac manſuetudine ferat, & cum Salvatore paratus ſit, pro impiis etiam & inimicis vitam ſuam profundere, ad id *ſummus gradus beatæ tranquillitatis* requiritur, cujus quidem homo in hoc mundo particeps fieri poteſt, nam qui adhuc infirmi ſunt, merito exclamant: Ab odio Theologico libera nos Domine. Iſte autem *ſummus gradus* in eo conſiſtit, quod divina gratia *ſcintillam amoris rationalis* tam fortiter accendit, & in divinum amorem convertit, ut non tantum ſuper vitioſos affectus aliàs regnantes *elevetur*, verum, etiam ut per gratiam divinam eosdem ita infregerit, ac per quotidianam crucifixionem cupiditatum ſuarum ad tantam perfectionem pervenerit, ut *ſemen peccati* ipſi in hac vita adhuc inhærentis, quia per gratiam divinam captivum tenetur, fere non ſentiat, æque ut homo irregenitus, effrenus ac in ſummo gradu malitioſus ſcintillam amoris rationalis ſibi inhærentem aliquamdiu prope non animadvertit. Ita vero hoſte interno oppreſſo, hoſtes externi ei incommodare nequeunt. Per rapinam bonorum ſuorum & per exitium nihil amittit, *Avaritia* enim ejus proſtrata eſt, & ipſe munitus eſt paupertate Salvatoris ſui: Nil amittit per ignominiam ſibi illatam, cum honoribus exuitur, degradatur, libri ejus confiſcantur vel comburuntur, cum ipſe hæreticus proclamatur, &c. nam eius *Ambitio* proſtrata eſt, ipſe vero manſuetudine ac humilitate Salvatoris ſui mu-

nitus est; Denique lacrymæ uxoris, civitatus liberorum, cruciatus qui corpori eius per duros carceres, torturam & mortem infertur, eum non afficiunt, nam *Voluptas* ejus prostrata est, ipse vero pace ac gaudio Spiritus sancti munitus est, &c. Quænam vero summus hic gradus præ reliquis obtinet privilegia? Nullum omnino. *Nam eorum est regnum cœlorum*, hæc est promissio tam primi quam ultimi gradus, ne quis præ reliquis prærogativam aliquam affectet, adeoque *superbia spiritualis* tanquam venenum pestilentissimum vitetur. &c.

6. Ecce hic conceptum meum & confessionem meam de Ethica Christiana, & de octo beatitudinibus. Et uti ex late dictis patet, etsi hic octo numerantur beatitudines *in effectu* tamen *& reipsa unam tantum esse beatitudinem:* quæ *distinctos* quidem *gradus*, non vero species realiter distinctas habeat; ita etiam credo, *unam duntaxat hominis esse beatitudinem, in hac vita inchoandam, in futura vero consumandam.* Quicunque veram beatitudinem, & nullum ex his octo gradibus in hac vita vivo sensu percipit, is certe post hanc vitam beatitudinem æternam expectare non poterit. *In quamcunque mundi plagam arbor ceciderit, ita jacebit.* Si beati *orbem terrarum possidebunt*, si pacificare eos oportet, si *persecutionem pati* debent, beatitudinem in hac vita inchoari oportet, nam in futura vita homines non regnabunt, non litigabunt, nec alter alterum persequetur. Hinc si quis per totam vitam, (quod fit apud plerosque in omnibus statibus, etiam in Christianismo nostro Evangelico) secundum Voluptatem, Ambitionem ac Avaritiam suam, vitam egit aperte dissolutam, crudelem, & vio-

violentam vel pro diversis harum passionum mixturis, hypocriticam, sive secundum stylum politicum, honestam ac virtuosam, credo, (*plerumque*) rem desperatam esse, in agone de æterna beatitudine cogitare: Credo hominem statum suum infelicem, in quo vixit, in & post mortem suam continuaturum: licet quantumvis pecuniæ summam templis & scholis testamenti loco donet, precationes & cantilenas prolixissimas instituat, ac tot tantisque repetitionibus confiteatur se Jesum suum in corde tenere, & quantacunque laude e suggestibus & in concionibus funebribus extollatur & beate mortuus prædicetur. Vivus adhuc, regnantibus cupiditatibus suis confitebatur, jactabatque etiam cupiditates suas sequens, se Jesum suum in corde tenere. Oportet eum certe in agone idem dicere, alias enim graviter increparetur, vel sepultura asinina ipsi formidanda esset. In sacris literis *unicum* tantum reperitur *exemplum hominis in cruce conversi*. Nec circumstantiæ status ejus nobis perspicue significantur. Dubitari potest, an in vita sua fuerit *extreme impius*. Ethica Christiana hominem non judicat secundum Jurisprudentiam politicam. Misella & simplex muliercula, quæ per persuasionem se passa est imprægnari, sæpe ne in millesimo quidem gradu tam libidinosa est, quam multæ nobiles matronæ, etsi illa meretrix vocetur, cogaturque cum genuflectione ad aram publicam pœnitentiam agere, hæ vero magnificis titulis ornentur, & in templo honestissima subsellia obtineant. Miles pauperculus ad militiam coactus, deinceps cogente necessitate & per pravam conversationem seductus, ut in viis publicis prædaretur vix in millesimo gradu tam vitiosus est, quam multi viri honorati, qui his temporibus ex machinationibus circa falsationem monetæ ad summos honores adscendunt ac detescunt: Etsi ille tanquam furcifer rotæ infixus moriatur, hic vero pro patre patriæ vivus proclametur, & post mortem

concionibus, funebribus, parentationibus, carminibus monumentis glorioſis &c. honoretur. Adde quod communiter obliviſcantur in exemplo latronis dicere, *amorem prius in illo per externas actiones ſe exeruiſſe, quam confeſſionem ſuam ederet*, dum latronem alterum amice corripuit, ac peccatum ejus ipſi propoſuit, id quod in ſummis charitatis operibus numerari meretur. Credo hic, communem opinionem (quæ univerſaliter in cordibus hodiernorum Chriſtianorum plane aliud ipſis occinit, etſi id forte verbis non enuncient) inde ſimul oriri, quod *ſummum bonum tanquam Genus* plures ſpecies realiter diſtinctus ſub ſe continens ſecundum vulgarem methodum intueantur, & poſtea contendant *ſummum bonum philoſophicum* à *ſummo bono theologico* realiter differre, idque peculiarem veræ beatitudinis ſpeciem, certe nihil mali eſſe. Vnde ſua ſponte ſequitur, ut homo, cum videat ipſos doctores ita vivere, quaſi cum ſummo bono Ambitio, Avaritia ac Voluptas in moderato gradu conſiſtere queat, contra vero ipſi inculcatur, bonum Theologicum ſeu æternum ab abnegatione ſui incipere, eo ducatur, ut non neceſſarium putet ſe in hac vita de bono æterno ſolicitum eſſe, ſed exiſtimet præſtare, ut hic vivat ſecundum naturales ſuas cupiditates, poſt hanc vitam beatitudinem alteram ſua ſponte ſecuturam, & quemadmodum vitam hanc temporalem cum futura commutet, ita ſe etiam temporalem hanc & philoſophicam beatitudinem cum theologica ſive æterna commutaturum.

7. Cum ſemel in confeſſionem meam edendam inciderim, ulterius pergam, confiteor ergo quod credam *Deum ſolum eſſe cauſam efficientem, autorem & conſummatorem ſummæ hujus beatitudinis, hominem* vero ad eandem nil præter impedimenta & *reſiſtentiam*, & re oprime confecta, *omiſſionem* hujus reſiſtentiæ conferre. Credo igitur, hominem ſalvari oportere *cum timore ac tremore*, quia Deus ſecundum beneplacitum ſuum in eo operatur & velle & perfice-

ficere. Credo *Salvatorem* ideo veniſſe in mundum, ut omnes homines, *qui hoc ab eo petunt*, ſalvaret. Credo *ſanctum* Dei *Spiritum*, qui eſt Spiritus ſapientiæ & ſcienriæ, halitus virtutis divinæ, & ſplendor gloriæ omnipotentis, hominibus donare ſapientiam per quam ſalvantur. Si quis me interrogaret, nunquid credam, hominem per *fidem*, an per *amorem* ſalvari? eum rogarem, ne hac quæſtione mihi velit eſſe moleſtus. Si novi, Solem me calefacere, non neceſſaria quæſtio eſt, ſcrutari, an per lumen, an vero per motum calefaciat, erſi alterutra opinio proprius ad veritatem accedere poſſet. Non omnia quæ vera ſunt etiam ſunt utilia. Quid ſi cum Salomone reſponderem: *Sapientiam* ſalvare? *Sapientia*, *Fides* & *Charitas* debent eſſe conjuncta. Nemo horum reliquis contradicit. *Paulus* ait, *Fide* nos ſalvari *Iacobus* hominem per *opera* ſalvari pronunciat, *Salomon* per *Sapientiam*. *Paulus* enim *Fidem* poſtulat quæ per Charitatem efficax eſt, charitatem vero non rejicit, nec fidei eam opponit, ſed externa *opera hypocritica* vitioſæ concupiſcentiæ. *Iacobus* poſcit *opera charitatis*, *e fide* prognata, nec Fidem excludit, ſed opera charitatis requirit, tanquam examen ſeu documenta fidei mortuæ & vivæ. *Salamon* non poſcit *Sapientiam* fidei vel charitati contrariam, dum ait, *unam eſſe & omnia poſſe*, *& in ſe permanentem omnia innouare*: Eandem ſapientiam quam Iacobus *pudicam*, *pacificam*, *modeſtam*, *plenam miſericordia* eſſe pronunciat, cum naturalis ſapientia ſit *terrena*, [ex *Avaritia*] *humana* [ex *Voluptate*] & *diabolica* [ex *Ambitione*.] Poſſumus ſane, imo debemus de rebus in Scriptura, quaſi diverſa eſſent, propoſitis, diſtinctos conceptus nobis formare; Sed non ſeparanda ſunt ea, quæ ſeparari non debent, nec exiſtimandum, quod diverſi hi conceptus ad omnes quæſtiones applicari debeant, vel quod in illis æterna beatitudo verſetur. Mea hæc eſt ſententia: ſi circa initium hujus controverſiæ loco diſſidii quo pugnatum eſt: An *Fides*, an vero *Charitas* ſalvificet? alter alteri oſtendiſſent, alteram partem habere *vera opera charitatis*, alteram vero *fidam vivam* & per chari-

tatem efficacem, vel utroque deficiente, utrobique mutuo se ad *interna & regnum Dei quod in nobis est*. perduxissent, fortasse rem meliori loco futuram. Quid siquis hodie exurgeret, & tertiam sectam instituret? Quid si diceret, *Spem* salvare. Quantum hic novarum tumultuum concitaretur? Mea mihi Ethica hoc dictitat: *Fides*, *Charitas*, *Spes* salvant, item *Sapientia*. Vti horum unum deest ibi nec alterum reperitur. Et ita *ingens* habeo *compendium*, quod non opus habeam tot plaustra spissorum librorum & controversiarum de hac materia inde ab initio reformationis formatarum, perlegere, sicut non lecturus essem, si centum volumina super hanc quæstionem scripta essent: motusne an lumen solis calefaciat? item an lumen solare causa motus, an vero motus sit causa luminis? Et lumine & calore solalari in simplicitate usurus essem, aliis interim concedens ut prope ignem fortasse camini, & ad candelam ceream de hac materia disputent. Viator famelicus in diversorio vescitur cibo sibi apposito, diversarum sectarum Philosophis interim, an gustus sit in cibo, an vero in lingua, disputantibus.

8. Deinde in Ethica mea magnum reperio Compendium circa controversiam hodie magna contentione agitatam *de perfectione in hac vita*. Quicunque subordinationem Ethices a me demonstratæ bene callet, & paraphrasin meam octo beatitudinum a Christo commendatarum comprehendit, facile perspicueque intelliget, hos qui perfectionem oppugnant, nil nisi virtutes fucatas ambitiosas, avaras ac voluptuosas inculcare, eosque cœcos cœcorum esse ductores. Cognoscet *gradus perfectionis a Christo requisitos & in hac etiam vita promissos apud paucos inveniri*, quia tam pauci, a falsis doctoribus seducti, & a propriis cupiditatibus irritati, eo contendunt. Cognoscet, *perfectionem Christianorum in eo sitam esse*, ut per Spiritum Christi in nobis operantem, scintilla amoris rationalis super tres vitiosos affectus in altum elevetur, eaque illos magis magisque supprimat & dominio suo coerceat, sed quia

ab

ab ipsa essentia nostra dependent, quamdiu corpore mortis hujus circundati sumus, non penitus extirpet, sed vim dominantem solummodo illis adimat, donec tandem aliquando in altera illa vita Fides, Charitas & Spes per quas hic certamus, cessabunt, simul etiam semen omnium pravarum cupiditatum per ablationem carnis & donationem corporis clarificati auferatur, adeoque charitas sola permaneat. Imo amplius divina gratia adjuvante videbit: *Quam diversæ sint viæ DEI in ordinaria hominum conversione pro diversitate distinctorum hominum temperamentorum, & quod post conversionem diversa quoque apparentia* sit fidelium, & quod alii alias aliasque *tentationes* præ reliquis *cavere* debeant. Idque usurpabit, partim ne aliis protinus diffidat, si Deus aliter in illis convertendis quam in ipso procedat, sed eos tanquam fratres tolerare discat, ac diversa Dei dona, distinctosque usus, ad quos Deus operibus suis utitur, humiliter admiretur & Deum super his celebret; partim ut *in consiliis tentatis* vel veritatem quærentibus dando, non tam suum, quam ipsorum temperamentum intueatur, ac consilia sua illi confirmet. Ulterius per gratiam divinam videbit, quemadmodum *multiplices controversiæ ac Sectæ* hodiernæ (etsi earum plures adhuc essent) facili negorio (nec aliter quam in centro horti circulariter ædificati consistens omnes in variis e peripheria ad centrum tendentibus meatibus euntes, expedite in circulum se circumagendo cernere potest) *comprehendi*, & quid in illis *boni* sit, quive sint, earum *defectus*, animadverti queat, etsi id ipsis in sectis consistentibus operosissimum sit, ut se mutuo intelligant. Sicut hominibus in ipsis meatibus ambulantibus, nec ad centrum tendentibus, sed per diversos artificiosos labyrinthos convenire cupientibus idem evenire solet. Videbit stulte se acturum, si miseros hos *tolerare nolit*, vel è centro suo excedere, eorumque rixis se implicare velit. Simul tamen artem Pauli discet, nimirum *omnibus omnia fieri*, ut multos

9. In

9. In *naturali* etiam *scientia* ingens lumen ipsi accendetur, ac si seipsum cognoverit & bonum obtinuerit, non poterit non ex hac microcosmi notitia etiam in macrocosmum prospicere, & quod Salomo prædicat addiscere, *dispositionm orbis terrarum, & virtutes elementorum; initium & consumationem & medietatem temporum, vicissitudinem, permutationes & consummationes, temporum, anni cursus & stellarum dispositiones naturas animalium & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum & quæcunque sunt absconsa & improvisa* Purspicue insimul intelliget, qua in re *beatus noster Lutherus hallucinatus* sit in glossa marginali verbis hisce Salomoneis annexa, cum scribit: *Totum mundum hæc maximam partem cognoscere, solos vero Credentes nosse, quod ipsi sint Dei creatura per verbum & sapientiam divinam condita.*

10. Perget tandem intelligere, quod per Ethicam Christianam clavem universalem *ad veram Politicam* sibi comparaverit, ac bene observabit dictum Salomanis: *Sapientiam docere cogitationes hominum.* Hoc fundamentum est Politices, quo omnes Leges, imo omnia Regalia tendere oportet, unde quilibet homo fundamentum capit, ad commoda sua promovenda, & damna præcavenda. Hæc *Regalis* est *scientia*, sapienter regnare, hominesque idoneos, ab inidoneis, ac fideles ministros ab adulatoribus discernere. Hæc scientia homini ostendit, *quemadmodum in rebus alias indifferentibus, & in externa honestate prudenter se gerere debeat.* Intelliget falsum esse, cum *Apologia Augustanæ Confessionis* ait, *de externa vita honesta neminem facile melius scripturum, quam Aristoteles scripsisset.* Et Lutheri potius sententriæ accedet, librum Ethicorum Aristotelis (imo omnes gentiles Ethicas & Politicas omni-

omnium librorum pessimos esse, eo quod gratiæ divinæ & virtutibus Christianis directe adversantur.

11. Nec facile tamen continuabo, in scriptis circa hanc materiam aliquid in lucem amplius emittere. Certe *per aliquot annos multis ex causis calamum meum depono.* In his etiam sequens est: Margaritæ non sunt porcis proiiciendæ. Quicunque veritatem sincere quærit, is in hac posteriori Ethices parte iam habet clavem ulterius progrediendi, & thesium harum adjumento eadem proprio Marte inveniendi, quæ ego scripturus vel dicturus essem. Quicunque autem veritatem sincere non quærit, sed ex mera curiositate, vel ut alios discat reprehendere, atque ad ingenium quidem acuendum, non vero ad emendandam voluntatem, libros meos, meamve informationem quærit, huic omnia magis obsunt, quam prosunt, quia omnis veritatis cognitio per malitiam vel vanitatem cordis eius in venenum tantum convertitur, adeoque nemo mihi vitio vertet si imposterum selectum Auditorum faciam, & de iis qui serio accurateque aliquid discere intenderunt, certa postulata atque examina, quod doctrina mea non sint indigni, exposcam, de quo alibi plura. Denique *hostes veritatis* eiusque obtrectatores jam abunde habent in scriptis meis hactenus ediris, quod per aliquot annos concoquant, & in quibus oppugnandis capita misere obtundant. Nec *Studiosi* tamen sibi persuadeant, quod hisce meis postulatis atque examinibus ipsis vel eorum marsupio rem difficilem atque operosam reddero ac humeros meos promptitudini ipsis inserviendi subducere velim. Deo enim adjuvante Lectiones meas ita studebo distribuere, ut quisque pro conditione sua amore ac mansuetudine ad veritatem invitetur, nec ab ea deterreatur. Interim Patri ac fonti omnis sapientiæ sit laus & gloria in æternitates æternitatum.

FINIS.

AB = 33 21/h 15
S

Fc 524

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33983/fragment/page=0453

cietatis *promi*
quisitissima *h*
que offension
pentes *patien*
ter herum &
per superiores
hendi oportet
23. Iam
sunt, ut depr
respondeant
est ut deincep
nalis particu
non fit, nisi
vel pretiosa
periant. U
mum mancip
cia exhibeat,
is prolixe pe
de eruditequ
24. Den
regulæ *amor*
rationalem
vicissim Pri
stiæ, *Mansue*
rio consequi
rum suorum
rere debeat
cipi onus in
lio, absque
levent; Cu
tur, in qua
Nobiles nim
vilem miser
in qua N
Nobil

Farbkarte #13 B.I.G.
Inches Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

CHRISTIANI THOMASII,
JCti, Consiliarii Regii Borussi. in Acad.
Fridericiana Professoris Publ. ejusque
Acad. Senioris,

LIBER
DE
REMEDIO
AMORIS IRRATIONALIS,
ET PRÆVIA NECESSARIA
NOTITIA SUI,
Sive
PRAXIS
PHILOSOPHIÆ
MORALIS,
CUM APPENDICE,

In qua Autor multiplicem usum Ethices suæ ostendit, & de intellectu suo de Ethica Christiana sinceram Confessionem edit.

EDITIO NOVISSIMA
auctior & correctior.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Prostat venalis in Officina Libraria RENGERIANA,
1706.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-33983/fragment/page=0455